AMORIS EFFIGIES:

Sive,

Quid sit Amor?

Efflagitanti

RESPONSUM

ROBERTI WARING
ex Æde Christi OXON. Art.
Mag. & Academiæ
Procuratoris.

Huic quartæ editioni prælegitur ejusdem Autoris

CARMEN LAPIDARIUM

Memoriæ

Vatum Principis,

BEN. JONSONI,

sacratum.

LONDINI
Excudebat *J. Redmayne*,
1668.

Perillustri ac Consultissimo

Viro

Dno JOH. BERKENHEADO,

Legum Doctori, Equiti Auratо, Almæ *Facultatum* Curiæ (Judici, sive) Magistro, & in conventu summi Senatûs Anglicani Assessori.

Vir Illustrissime.

Si tas gratitudinis nostræ Primitias non dedigneberis, uti spero; Tuò ipsius licèt decerptas è Pomario: cùm & Numinibus non adoleamus nisi Thura ipsorum propria. Quod eorum Autori superfuerunt panca hæc

tam chari Capitis λείψανα, *Tibi olim debebant Literati omnes : at, ut ad Te redirent denuò Nomini inscripta Tuo, non Ipse solus feci, sed & Orbis itidem Literarius ; qui hoc insuper voluit, ut publicam ejusdem, meiq; privatam ipsius Gratitudinem publico isthoc testatam Alloquio facerem. Quippe qui non satis habuit tanti in semet pretii Cimelio frui, nisi & (quod Principum Unionibus & Margaritis usu sæpe venit) Æstimium quoddam, innato augustius Prætio, à nuper-possidentis capsulâ illi accessisset : nam* Cujum opus *interroganibus non satis Typographus fecit respondendo,* Non certè

Ægonis

Ægonis esse, sed *suave-canentis* WARINGI; *dum instant*, undenam autem depromptum Opus? *qui importunis hujusmodi fatigatus interrogatiunculis illud respondit, quod solum verè potuit*, Istud è Tua (*Vir Clarißime*) in lucem exiisse Bibliotheca. *Dumque ille iterandam, pristinis distractis prorsus & divenditis exemplaribus, parat Editionem; hoc quidem Tu velis, ut in tertiæ hujus impreßionis fronte genuinus Operis Parens Orbi innoteſceret: cum ipſe ſurreptitiarum Pennarum* (*uti, Cornicis ad instar, mos hodie pleriſq; eſt hominibus*) *ad Alas Famæ Tuæ inſtruendas nullo ſis mo-*

do indigna; at eas Calami Tui proprias merito jactare posses Fœturas, quibus si unùs editis semel frueretur Orbis, cedat necesse sit omne illud, quidquid parturierunt hodierna horumce temporum ingenia, dum nescio an quid Iliade *majus nasceretur, corticibus saltem non includendum putaminosis. Tibi interim eruditi cis* Tagum *&* Gangen *assurgent omnes: cui quippe soli datum sit summâ Ingenii laude cum pari conjunctâ Judicio frui. Adeò in Te Judicii acumini non officit Ingenii subtilitas. At vereor, ne, dum Veritati litem, Modestiæ, quâ maximè polles, sim injurius Tua; nec* Laconum

civitati

civitati Myndiana *erigenda Porta eſt : tempeſtiviùs igitur me reprimam, hoc ſolum exoptans, ut quam tantoperè deſiderant omnes Lucubrationum Tuarum Editionem obtineant tandem, quò & Fama æquum reddas Tua, & ſummæ Hominum expectationi. Æqui autem bonique oro ut conſulas tenue iſtud gratè Animi Teſtimonium : quod, uſque dum majora proferre liceat, Gratitudinis ergò Tibi inſcriptum voluerit,*

Tibi Patrono Optimo

humillimè addictiſſimus Cliens

Guhilhelmus Griffithius.

De *Autore* isto

Amorem effigiante

Præloquium

GUILHELMI GRIFFITHII

ad Lectorem.

HAbe tibi, *Lector*, quã tamdiu expetisti, novam tersi hujus *Opelluli* (si Molem siquidem spectes tantummodo, non autem Scripti Meritum, ita est) Editionem, adeò ut nec tibi deinceps transcribendum sit diutius, nec iteratis ut sua mutuò exemplaria darent fatigandi Amici precibus. Hoc tibi consultum voluit Typographus; qui me facilè excratum habuit, ut, si quid mea potuerit opellula, tertia ista Editio

Editio auctior exiret inde, simul & emendatior. Cui fini siquid fuerit à me accommodè factum, id totum egregio illi celeberrimoq; viro acceptum referendum est, cui hoc etiam Orbis Literarius antea debuerat, quod, ex illius favore, amabili isto & desideratissimo Divini adeò Ingenii fœtu frueretur. Summum illum Dominum *Johannem Berkenheadum Equitem Auratum* velim, qui non satis habuit, Autoris (quicum summa sibi intercesserat familiaris Consuetudo) condere Cineres, ni & Amici condiret unà Memoriam: quod fecit Pollinctor ille ingenuus Sche-

dàs iſtas *Amoris effigiatrices* ſe penès depoſitas in lucem emittendo; Nardum hæ enim ubicunq; advenerint exſpirârunt, Aromata redolentes etiã & Amomum. Perpuſillum eſt, quidquid primævæ acceſſit nuper editioni; niſi hoc ſit manum (& ita verè eſt) eximii adeò ac delicati Operis Autorẽ indicâſſe: cujus Nomen, cum primùm edere tur, à fronte abfuit; quia tum foras prorepſit prorſus, uti (proh Fata illorum Temporum!) Viri, qui Regiis ſemper ſtuduerat partibus, Fœtus neceſſum habuit, celato nempe (quod ſolum potuit) Autoris Nomine; neutiquam enim celandum Tale eſſet

set Ingenium, quod Regiæ instar supellectilis tam clara Sècum ubique sui-ipsius circumtulit Indicia. Nec tamen aspernandum, credito *Lector*, habes & Auctariolum, *Carmen* scilicet *Lapidarium*, quo & BEN. JONSONI Poetarum nostratium facilè Principis litavit Memoriæ, utique & propriã Sibi eodem reddidit immortalem: quod tamen in Libro, cui *Jonsonus Viribius* titulo est, miserè discerptum adeò reperiens Autor, vix sine novo partûs nixu pristino tandem restituit nitori, *Apollo* factus Ipse verè *Paonius*, & vitam quam prius Proli dederat, Pelecani instar, suæ redintegrans

tegrans. Qui quidem Foetus jam & pluſquam *Virbius* eſt, &(ſi cujuſpiam alius) triſeclis Senis æmulus: primò, natus; dein, propriâ Autoris manu, à Prælierroribus renatus; &, illo ex Autographo, tertia hac vice, ſummo antedicti Equitis favore, traditus Æternitati. Ipſe Autor inter ſumma Temporum ſuorum Ingenia merito ſemper fuit recenſitus: *Cartwrightum*, *Gregorium*, *Diggeſium*, *Maſterſium*, cæterosque dico, at Quales dum vixerint, Viros! quibus ſuperſtes unus eſt omnium fere inſtar *Berkenheadus*. Hi Numina erant *Oxonii* Tutelaria, Ingenium quisque cœlitus delapſum, & planè

diuinis

διοπετές quæ quidem dumintra Mœnia retinuit sua, perstitit *Oxonium*, nec hostili cedens Fraudi, nec infestis Inimicorũ succumbens Armis. In partes hos enim Heroas evocare suas frustra sategit Hostis perfidus & rebellis: quos tamen dum variè Vis Major (Pietas erga Principem & Fidelitas) distraxerit singulos, quò illorum Calami Regiis tum in extremo demum sitis discrimine promptè magis Armis succurrerent, prævaluit tandem istis aliò occupatis hostilis Furor: uti *Dianæ* olim *Ephesi* deflagraverit Templum, ipsâ *Alexandro* obstetricante nascituro. Spe itaque Hostis vel suâ inde mactus, victoriæque impo-

impotens, triumphata & ipsa, horum quotquot ceperat, duxit Numina, nec aliter quam loris & catenis divinas istas se tutò posse retinere Animas existimavit: prout quam olim auream *Ogmii Herculis* Linguæ catena ad homines blandè attrahendos attribuebant *Galli*, *Tyrii* ejusdem Numinis ne illos desereret Pedibus adaptabat. Inter hæc Fata beatas exhalârun: horum plerique Heroum Animas, nec tamen Fato cedentes, sed majores: dum illorum unusquisq; æternas in Scriptis suis lineas duxerit; uti &

AMORIS EFFIGIEM
ROBERTUS WARING
PINXIT
ÆTERNITATI.

CARMEN LAPIDARIVM

Memoriæ

Vatum Principis

BEN. JONSONI

Sacratum à

ROBERTO WARING

Ex Ædæ Christi OXON. Art.
Mag. & Academiæ Procuratore.

VATUM PRINCIPI,

BEN. JONSONO

Sacrum.

POëtarum Maxime!
Sive Tu Mortem, sive Ecstasin passus,
Jaces verendum, & plus quàm Hominis funus.
Sic, post receptam sacri Furoris gloriam,
Cùm exhaustum jam Numen decoxit emerita Vates,
Jugique fluxu, non rediturâ, se prodegit Anima,
Jacuit *Sibyllæ* cadaver,
Vel trepidis adhuc cultoribus consulendum.
Nulli se largius indulsit DEUS, nulli ægriùs valedixit;
Pares testatus flammas,
Dum Exul, ac dum Incola.
Annorúmq; jam ingruente Vespere
Pectus Tuum tanquam Poëseos Horizonta,
Non sine Rubore suo reliquit.
Vatibus.

Varibus nonnullis ingentia prodere,
nec ſcire datur:
Magnum aliis Myſterium, majus
ſibi,
Ferarum ritu vaticinantium,
Incluſum jactant Numen, quod ne-
ſciunt,
Et Inſtinctu ſapiunt non intel-
lecto.
Quibus dum Ingenium facit Audacia
prodeſt Ignorare.
Tibi Primo contigit Furore frui
proprio,
Et Numen regere Tuum:
Dum pari lucta Affiatibus Judicium
commiſiſti,
Bis *Entheatus*.
Aliáſque Muſis Muſas addidiſti, Artes
& Scientias.
Tui plenus *Poëta*.
Qui, Furorem Inſaniæ eximens,
Doceiſti & ſobriè *Aonios* Latices hau-
riri.
Primus Omnium,
Qui effrænem *Caloris* luxuriem frugi
Conſilio caſtigaveris;
Ut tandem Ingenium ſine venia pla-
citurum
Poſſideret *Britannia*,
Miraretur Orbis,
Nihilq;

Nihilq; inveniret Scriptis Tuis donandum, præter Famam.
Quòd Prologi igitur,
Velut magnatum Propylæa, Domini Titulos præferant,
Perpetuumque celebratur Argumentum Ipſe Autor,
Non Arrogantis hoc eſt, ſed Iudicantis,
Aut Vaticinantis.
Virtutis enim illud & Vatis eſt ſibi placere.
Proinde, non Invidia tantùm noſtra, ſed Laude Tua
Magnum te prodire juſſerunt Fata:
Qui integrum Nobis Poëtam ſolus exhibuiſti,
Unrſq; Omnes exprimens,
Cùm Frondes Alii Laureas decerpunt
Tu totum Nemus vindicas.
Nec Adulator laudas, nec Invidus perſtringis:
Vtrumque exoſus,
Vel Sacrificio Tuo Mella, vel Medicinæ Acetum immiſcere.
Nec Intenſo nimis Spiritu Avenam dirupiſti,
Nec Exili nimis Tubam emaſculaſti;

Servatis

Servatis utrinque legibus, Lex Ipse factus.
Unâ Obsequii religione imperium nactus es;
Rerum servus, non Temporum.
Ità, Omnium Musarum Amasius,
Omnibus perpetuum Certamen astas.
Sit *Homeri* Gloria
Vrbes de Se certantes habere, de Te disputant *Musæ*;
Qui, seu Cothurno niteris, inter Poëtas Tonans Pater,
Sive Soccum Pede comples rotundo,
Et Epigrammata dictas Agenda,
Facetiasq; Manibus exprimendas,
Adoranda posteris ducis Vestigia, & nobis visus es Theatrũ metari.
Non Arenæ Spectacula Scena exhibuit Tua,
Nec Poëmata, sed Poësin ipsam parturiit
Populóq; Mentes & Leges ministravit.
Quibus Te damnare possent, si tu poteras peccare.
Sic & Oculos spectanti præstas & Spectacula;

Scenámque

Scenámque condis, quæ legi magis ge-
stiat, quam ſpectari,
Non Hiſtrioni ſuum debitura
Ingenium.
Alii, quibus nullus eſt *Apollo*, ſed *Mer-
curius* Numen,
Quibus Afflatus præſtant Vinum
& Amaſia,
Trudúntque in *Scenam* Vitia.
Morbo Poëtæ;
Quibus Muſa Pagis primiſque
Plauſtris apta,
Præmoriturum Vati Carmen,
Non edunt, ſed aborriunt;
Cui ipſum etiam Prælum Con-
ditorium eſt:
Novaq; *Lucina* fraude in Tenebras e-
mittuntur Autores,
Dum Poëmata, ſic ut Diaria,
Suo tantum Anno & Regioni eſ-
fingunt;
Sic quoq; *Plauti* Moderni Sales,
Ipſi tantùm *Plauto* σύγχρονοι
Et vernaculæ nimiùm *Ariſtophanis*
Facetiæ
Non extra ſuum Theatrum Plauſus
invenerunt:
Tu interim
Seculi ſpiras quoque poſt futuri
Genium.

Idemq;

Idémque Tuum & Orbis Theatrum est;
Dum Immensum, cumq; Lectore crescens Carmen,
Et perenne uno fundis Poëma Verbo.
Tuas Tibi gratulamur felices Moras?
Quanquam quid Moras reprehendimus, quas nostri fecit Reverentia?
Æternùm scribi debuit, quidquid æternum legi.
Poteras Tu solus
Stylo Sceptris majore Orbem moderari.
Roma Britannos subjugavit Gladius,
Romam Britannis Calamus Tuus,
Quam, sic vinci gestientem,
Cothurno *Angliaco* sublimiorē, quàm suis Collibus cernimus.
Demum, quod majus est, Ætatem Nobis nostram subjicis;
Oraculiq; Vicarius,
Quod jussit DEUS, fidus præstat Sacerdos,
Homines Se ipsos noscere instituens.
Lingua Nostra,
Tibi collactanea, Tecum crevit:
Vocésq; Patrias, & Tuas simul formâsti. Nec

Nec Indigenam amplius, sed JONSONI jactamus Facundiam;
Vt indè semper Tibi contingat Tua Lingua celebrari;
Qui & *Romam*
Disertiores docuisti Voces,
Mancipiali denuò Idiomate superbientem;
Græciámq; etiam
Orbis Magistram excoluisti,
Nunc alia quam *Attica Minervâ* eloquentem.
Te solo Dives poteras Aliorum Ingenia contemnere,
Et vel sine Illis evasisses Ingenii compendium:
Sed ut ille Pictor,
Mundo daturus par Ideæ Exemplar,
Quis hinc & indè Pulchritudines
Sparserat Natura,
Collegit Artifex;
FormæqueRivulos palantes in unum
cogens Oceanum,
Indè exire jussit alteram sine Nævo
Venerem;
Ità Tibi parem Machinam molito,
In hoc etiam ut Pictura erat Poësis.
Alii indè Autores Materies Ingenio
tuo accedunt,
Tu illis Ars & Lima adderis.

Et

Et si Poëtæ audiunt Illi, Tu ipsa
Poësis;
Autorum non alius Calamus, sed
Autor.
Scriptores diu sollicitos Teipso tandem docens,
Quem debeat Genium habere victurus Liber.
Qui præcesserunt, quotquot erant,
Virtutum tantùm Indices fuerunt;
Tu solum Columna.
Quæ prodest Aliis Virtus, obstat
Domino:
Et, qui cæteròs emendatius transcripseras,
Ipse transcribi nescis.
Par Prioribus congressus, Futuris impar,
Scenæ Perpetuus Dictator.

ROB. WARING.

AMORIS EFFIGIES.

Sive,

Quid sit Amor?

Efflagitanti

RESPONSUM

ROBERTI WARING
ex *Æde Christi* OXON Art.
Mag. & Academiæ.
Procuratoris.

Huic quartæ editioni additur ejusdem Autoris.

CARMEN LAPIDARIUM

Memoriæ

Vatum Principis,

BEN. JONSONI,

sacrum.

LONDINI
Excudebat *J. Redmayne*,
1668.

Has Amoris flammas ad aras
& foces offert dicatque,
Hinc emeritam laceramque
Amoris Cytharam Penatum ſuorum ſacris parietibus ſuſpendit. *R. W.*

Mihi nunc alas e pleca Cupido, calumumque concede & Numen ſurripiendum. Majus adhuc inſtat opus, & amplius Amoris argumentum, Patronus. Quem ego præſentius Numen mihi invocandum cenſerem, niſi quod inertiæ noſtræ tantum Autorem affingere impii cultus eſſet. Da tamen (O mihi Cupidine dulcius Numen) huic mei crimini veniam (ſed enim pietatis ſolenne crimeneſt) ſi ſacris parietibus teſtudinem ſuſpenderim, jam tandem gratam futuram poſtquam ſilverit. Ego Praxitelis Artem imitatus (quid enim non audemus

Amantes?) non illam Penicilli, ſed Pietatis Amore ipſum Amoris nuntium conſtituo, & mei in pignus mitto. Non hic tantum pingentis habes, quantum conſitentis. Siquidem & ipſe ægri pectoris æſtus effuderim in tabulam, & quod potentius paſſus fueram, infirmius delineavi. Nihil aliud Amoris videar ad vivum deſcripiſſe, præterquam Cæcitatem & Inſaniam. Atque adeo vereor, ne adhuc requires quid tibi muneris ſpecie in manus trado. Quod ſi, umbra & ſomnio imaginis deluſus, aliquid ultra efflagites, ecce libentius tibi, ſive in munus, ſive in mancipium, venit una.

Viva effigies
&
Prototypa, &c.

Cui

Cuidam importunius flagitanti Quid eßet Amor,

hæc reſpondit
R. W.

AGnoſco imperioſi *Amoris* laſcivam tyrannidem, arduа ſemper affectuum experimenta flagitantis. Quanquam hoc ipſum Herculeus labor ſit, *Amare*, dum amplius penſa, & expeditiones, & ſæva ſtipendia conſtituit, perperam quærit Crudelitate placere: æquum tamen eſſe cenſemus, quotquot nomina *Amori* dedimus, uti regnum, quod ſane habet maximum, exerceat *Cupido*, &. per aſperiora mandata, augeat pariter imperii & obſequii gloriam. Iubeat licet quæ poſſumus, quæque non

Amoris aſperiora penſa augeant, & obſequii gloriam oſtendunt.

possumus, præter unicum istud, *non Amare*; neque quidquam infra miraculum exigat, dum idem, qui imperat, Vires suppeditat, & ingenium supra se evehit, hominemque transcribit in Numen: ut illum prorsus amare neges, quisquis non ultra omnia agat, & vota non æquat sua per facinora. Non satis amat, qui non plus eulum, quam possit, amore fungitur.

Omnia vel ultra vires posse Amatores.

Verum tu æquo jure repolcis affectus, quos ipse docuisti; sua tamen denudatos venere & facundia. Adeone gaudebis depictam, velut in tabula, in sinu devoto, tui reflexam imaginem intueri: Meque juvabit, quò opus & artificium tuum videat, penitus conspicari? An quia nullis materiæ sordibus tua unquam evilescat imago, sed maculis quoque ipsis, Solis instar, splendorem affundat, ideo non procacis ritu dominæ speculo irascceris,

Iucundissimum quisque sibi est spectaculū. Quicquid vobis nos ostendat bis amplectendos, imprimis charum est

Quod si rideat &

ris, quod nævos, & deformitates, non tuas, tibi inurit, oriſq; reddit convicia? Neſcio quo pacto etiam ipſa corporum noſtrorum detrimenta & opprobria, decrepitas umbras amamus; & majorem accipiunt religionem trunca ſimulachra: ſic tenuiore plerumque affectu, velut ad infelicitatis ſolatium, proſequuntur deformia pignora, oſculiſque gibbos donant parentes, & hæc uteri monſtra vehementius venerantur, quaſi magnæ Rei portenta. Cum aliis omnibus delicias faciat, ~~nec præcipue earthoribus,~~ diſtorti corporis tranſpoſita moles, hominiſque Anagramma. Res certe ſacra eſt *deformitas:* quæ omni pulchritudine divinior, Vatibus maxime placuit, unde Numinis ſpeciem ſimul exprimerent, & verenda magis darent Oracula; quæ una terret Mortales, & monet, quod nec tam Amari, quam Adorari digna eſt. Jucundiſſimum

fructor; aharius evadit ipſa deformitate.

Sive ab hac ipſa injurie & antiquitatis ſpecie.

Res ſacra Deformitas.

mum quisque sibi Theatrum, blandissimumque spectaculum est: Oculusque jam inde mentis dignitatem & delicias consequi videtur, quoties in se flexilem retorquet aciem, idem ipse spectator & spectaculum. Quicquid id est, quod nobis nos ostendat bis amplectendos, imprimis charum esse oporteat; quod si læsos aut fractos reddat, hæc ipsa aut injuriæ aut antiquitatis specie charius evadit. Gratulari libet Naturæ, quod rasam mihi Tabulam indulserit, hoc ipso nomine, unde tantam caperet tui imaginem, quæ se teque oblectaret. At, at, *Portentum est, quoties cæpi ma-go loqui*

Mysterium Amoris est nec exprimi fas, nisi sese Interprete.

Atque vero mihi longe promptius est *Amare*, quam illud dicere, quod sentiri tantum gestit, non monstrari; & quoniam cordis incolit recessus, Contubernalem dedignatur Linguam, Quod nullis exemplis, nullis docu-

documentis Mortales accepimus. tum demum omnes scire cœpimus, postquam omnes idem fecimus. Diceres non tantum cæcum, sed etiam elinguem *Cupidinem*, qui omnes corporis artus præstitit vocales, præter unam linguam: unde disertius suspiria quam verba, quasi vitalis suæ internuntias particulas, transmittunt Amantes; & animatas tanquam *Paphiæ* columbæ gemunt epistolas; unde digitis sine calamo facundis confabulantur tacite, & in Corollis texunt dialogos. Per affabiles nutus, perque missiles risus, vocales cupiditatum Tabellarios, vota audiunt mutua, animasque visiles legunt. Nunc cunoti gestus, quasi tot rhetoricantibus figuris compositi, arcano varioque idiomate procantur. Nunc vultus peregrinantes, velut in ignotos defixi, dum consuetudini renuntiant, clam consuescunt. Nunc

Idiomata amantium ut legatorum, conficta inversis characteribus.

Coloquis, ut Angelorum intuitu peragunt non intellectu, sed voluntate sese explicante.

subducta supercilia iras projiciunt, sed & sedulò adblandiuntur, & in ira tenues solum delicias meditantur. Nunc intercursantes ex oculis Animæ pronuba ex intervallo basia raptim delibant, & furta amplexuum referunt ovantes. Hoc inter triumphos & delicias reponunt, *latere*. Adeo illud, quod toties in Theatrum prodiit, etiamnum spectatores fugit, & sua persona ludos agit. Videntur sane supra humanas leges divini hi confabulatores augurijs certissimis captare alterius vota, viscera inspectare, & vaticinia instituere, potius quam colloquia: ubi cogitatione, clariori intuitu deprehenduntur, antequam in verba exeant, aut fallere nôrunt; & vota quasi spectra oculis objiciuntur, sed ut imagines quædam, non alia arte, quam qua nascebantur, conspiciendæ: ubi exeuntes è corporibus spectabiles, velut

augurij

è

è ſimulacris Numina, non ſolum ſe aſpectui exhibent, ſed induunt, & quem affari contendunt, penitus animant. Planè quaſi intra idem corpus liberè commeant errantes & vagæ mentes, nec minori ſilentio quam ſecum ipſis colloquuntur. Hic unus exprimi neſcit. & velut myſterium colitur, affectus; cujus ſacra (uti antiquiſſimis fere Numinum) perinde ac crimina, pudore & ſilentio proteguntur. Habet flammeum ſuum omnis *Amor*; *Veneris*que Alumni, cum Æ*nea*, nube circumfuſi procedunt in publicum, & in ipſa hominum frequentia ſibi ſecretum faciunt: quin &, uno haud contentus velo, gaudet *Cupido* ex inſidiis faucia ſpectare corda, ipſe non ſpectandus. Ita qui mundum compoſuit, ſeſe in confuſo relquit *Amor*, inter antiquas tenebras & primævum Chaos receptus.

Flammeum & velum habet omnis Amor-

Solem uſque adhuc fugit tan-

Myſterium.

Amor nec exprimi fas est

tanquam Proditorem *Venus*, &, ne deprehendi possit, nescio quis Deus concluſit in Labyrintho, non ſolum *Paſiphaes*, ſed omnem omnium *Amorem*; & ſi quando deprehenditur, aut retibus laqueisve implicitus, aut monſtri ſpecie involutus apparet. Ænigma hercle quiſquis amat, & ſibi ipſi factus Problema; quodlibetice vivit, & in utramque partem exercet affectus, dum, pugnantibus votis, per fluxus refluxuſque pectoris huc illuc rapitur; ut in illo facile agnoſcas contrariis ventis undisque multum reluctantibus genitam *Cyprida*.

Ita etiam Ænigma eſt, nec vel intelligi poteſt.

Problemata amatoria.

Itane eundem illum & ſervire & libere agere, ſui juris ſimul & alterius, & quod imperatorum libertis evenit, nullo magis quam obſequii Titulo Dominis imperare? Itane eundem, tam bono omine, mori ſimul & vivere, &, Phœnicis ſorte, vitalem ſibi rogum extruere, unde ex incendio uberius reviviſca-

viviſcat? Itane maligna & inſana eſſe Amanti vota, eum cui maxime favet, ideo miſerum optare, ut ſuccurrat? vulnus prius infligere, ut ſit ipſe ſanitatis & ſalutis autor? ideo Amicis deſpoliatum, & fortunis omnibus exutum velle, ut horum ipſe in locum ſuccedat? & prius Neceſſitas, quam Blanditiæ & merita illum ad amplexus trahant? Neſcis, an tibi iratum & adverſum habeas, an propitium & benignum, dum eadem maligne moliuntur Odium & Zelus, Inhumane factum eſt, aliorum deprecari gratiam, ut ſibi unice placeret; aliosque amandare conſortes, & in jus vocare, quaſi ſibi damnum inferrent; & hoc ſollicite cavere, ne aliquando ſapientior evaderet, unde ipſe in contemptum veniret: ſcilicet cæcum eſſe & Amaſium juvat. Quin reciprocis æſtibus, & Paroxyſmis, ritu febricitantis, friget & recaleſcit de-

Malignus ſimul & Benevolus.

Nullus sine indignatione Amor.

devotum pectus; nec ullus est qui sine indignatione amat. Exsecratur merito jucundum illum Carnificem, qui flammis amantem adurit, qui se sibi surripit: sed & juvat, Papilionis instar, has circumludere flammas, & beato frui necis autore.

Seipsum miser extra se quærit, hæretque captari, ut captum quandoque se redimat; &, ut sibi sit proximus, semet possidenti adhæresci. Difficile illi est *Amare*, difficile etiam *non Amare*; utrisque difficilius est *Amore frui*. Tam votis suis, quam vo orum exitu affligitur necessario miser animus: ut, si propitiis diis, & secundo fruatur *Amore*, jam priores reposcit cruces, & dulce illud tormentum, suspirare & cupere. Vsque adeo juvat amplius ad amplexus a spirare, quam iis velut carenis astringi. Pluris quisque facit desideria, quam desideriorum eventus. Nullâ sane sorte felix

lix futurus, qui de ſucceſſu quæritur, jamque ægre patitur ſuſpiria ſua, anxiaſque delicias diſperdi. Quod durum premit Amantes fatum, quibus utut faveat fortuna, ſua ſemper mens adverſatur.

Vnde ejus conſpectum fugit, tanquam malum ominatum, cujus tamen vultu paſcitur, cujus in lucem prodire id demum naſci exiſtimat? Quænam hæc infelicitas, voti compotem voto non poſſe frui? Illa cinctu Gratiis Majeſtas & allicit, & terret. Illa oris ſereniſſimi, ut ſolis claritudo, & reficit oculos, & perſtringit. Hæret attonitus cultor veneratione tantæ divinitatis, quam ſibi timendam finxit, Cyclopis fato ſuum paſturus fulgus. Numen illi impoſuit *Amor* & titulos, ut jam dignior videatur poſſeſſio, quam qua frui ſibi permittat, ſuamque ipſe patiatur invidiam, ſibi obſtet Religio; & quidquid

Amat, fapit & timet conſpectum.

pro-

pro Numine habet, mente sola, non oculis, adeundum judicat.

Alternis gaudet & suspirat.

Scilicet huic affectui sollicite prospexit Numen, dum gaudio immiscuit tremorem & solicitudinem, ut delicatior exiret voluptas. Hinc ipsa desideria ita torquent, ut etiam delectent; & gaudia ita calamitatibus infestantur, ut etiam crucient. Ita parce exhibentur, quemadmodum dominarum vultus, qui per byssinas nebulas tantum apertius celantur. Ita ut illis contingat, & habere simul & carere, utpote quibus majora quæruntur, quam quæ tota simul indulgeri fas est gaudia; & per vices tantum conceditur ambulare, assidere, spectare, alioqui. Quinimo post hæc omnia irrequietus usque & famelicus animus, nec consortio, nec aspectu satiandus, aliquid divinius ultra experiscit, quod nec assequi, nec scire datur. Nescio quo fato hoc

hoc illos versat infortunium, ut quia nisi per somnia nunquam felicitatem soleant prensare, quas vere tenent delicias, tenere se dubitant, tenereque adhuc tractantes, umbras & somnia esse existimant, amplius deludi recusant, & timent frui.

Affectus ille, qui cæteros componit animi motus, qui homines, feras, & Philosophos conciliat, sibi unice dissidet, & discordi nexu rerum dissimilium nuptias indocit. Nec ergo *mollem* convicieris, cujus brachia tantum amplexibus attenuantur; qui semper aut odores exhalat, aut suspiria; qui levis supercilii minis oculique ictu prosternitur: etiam *durum* & *asperam* scias, qui curarum pervigilia, & tristes in lumine excubias patitur, & prolixa injuriarum patientia animum exercet periculorum avidum; ut, si desinit metus, voluptati sit eos fingere, Mollis simul & fortis.

gere, & capitis discrimina accersere, tanquam blanditias, & *Amoris* argumenta, ut genus procandi censeatur pallescere, seque prius miserabilem reddere, ut probet *Amatorem.*

aquam

An vero stupidum dixeris, quod verbera & contemptus pro blanditiis urunt & irritant *Amantem*? Totus, crede, in animam transmigravit, aut ætheream ignis particulam, quæ nullas sentiunt plagas. Aut, si illud rideas, hæc scias. *Amoris* est Philosophia effectu odia vincere, ignemque igne, sed splendidiore, expugnare. Scias tamen, non *Amantis* iste *stupor*, sed *æstus* est; siquidem injuriæ ut spretæ exolescunt, ita humaniter acceptæ transeunt in beneficia, aut. ut dura omnia, molliore & cedente sinu franguntur.

Amantis vitia placent.

Quid adhuc insanum & cæcum exclamas, quod alterius maculas velut ornamenta & stellulas suspicit, quod

quod in vitiis cauſam decoris ponit, & culpam humaniſſimo errore (quod à Panegyricis fieri videmus) propinquæ virtutis titulo cohoneſtat? Se licet negligat *Amaſius*, comptius ab *Amantis* arte fucus illi & aſcititia forma inducitur. At (iniquiſſime Arbiter) Cenſorem poſtulas, non Amicum, & affectuum loco judicium exigis. quod invides *Amanti* feliciſſimum errorem, unde beatior ſibi videatur? Fas ſit ſibi-ipſi fraudem facere honeſtiſſimam, & auguſtiore ſpecie illum in animo formare ſuo. quem ibi ſanctius colere & contemplari decrevit Pictorum illud eſt vultus non ſimiles, ſed pulchellos affingere, & Archetypo blandiri; dum tabulam expoliat ad ſpeculum potius, quam imaginem.

Ne tu, ne credas erutos *Amantium* oculos, ſed velo tantum obductos, per quod, veluti per tranſennam, nebu-

Cæcus, ſed; & maximè oculeatus.

lamve,

lamve, ſecurius clariusve proſpiciunt. At contractos exiſtimes, collimantium more, ut perſpicacius cernant: unius obtutu defixi, ad cætera non lippiunt, ſed faſtidiunt, ſed clauduntur. Ubi unius ſpectaculo ſeſe fatigant lumina, aciemque in illo conſumunt, & deponunt, quaſi dedita opera, ut nihil præterea ſpeculentur, non hoc eſt, cæcutire, ſed nimium videre. Quod ſi philoſophari nihil aliud eſt, quam Ideas contemplari, hoc ipſum profecto philoſophiæ opus eſt, *Amare*. Imo vero ſi tantum quiſque amat, quantum intelligit, migravit in Scientiæ argumentum illud, quod in affectibus inſanum creditur, vehementer deperire. Audi *Amantium* machinas & obſidiones, vel expugnandis regnis pares. Vide triumphatas quotidie puellas, velut tot ingeniorum Trophæa duci, quas neceſſe eſt prius decipi quam capi, & invitas ad

ſua

ſua vota perduci: ita falli amant magis quam amari; & prius ſtrophis doliſque circumveniri, quam amplexibus. Expendas quantos ubique præſtat afflatus *Amæſia*, quos doceat Lyricos pruritus, quamque epigrammatice laſcivire erudiat ſaucii æſtus pectoris. Tanti æmulus ingenii exclamabis, *Da quod amem*: adeoque, *Apollinis* vice, in poſterum *Cupidinem* adornabis. Maligne erras, quiſquis everſæ mentis deliria eſſe exiſtimas, quæ divinæ furoris ſunt myſteria. Pari ritu ſine ratione feliciter impetus diſponit, ac nunquam errante dextra humana jaculatur corda; etiamſi idem cæcutiat, nec ſcopum collimante perfigat acie. Regitur nimirum non oculo manus, ſed impellente intus numine: neque ratione ducitur *Amor*, ſed aliquid ratione divinius ſortitur, ut ipſe Deus; quid Rationem non habet, unde poſſit errare, ſed certiſſimo

Cum ratio, ne inſanit Amor.

simo impetu fertur in omnia, & sine consilio sapit.

Solius sapientis est. Quam bene inter se conveniunt *sapere* & *Amare*, cum solius hoc *Jovis*, &, post Numen, sapientis negotium videatur, qui, oraculo par, satis novit. QVIS OPTIMVS. Alium enim amare praeter optimum, nefas est. Hic unus erit, qui judicium ferat, fati instar, perpetuum. Non *Amare* possit ille cujus fallit opinio, cujus errat amplexus, aut quem aliquando debuerit odisse.

Conjugium enim *Amantium*, velut solenne Matrimonium, nullum admittit Repudium. Vbi Zona solvitur, nodus subnectitur non solvendus, sed, velut ille *Gordianus*, discindi aliquando possit, nunquam solvi. Quanquam enim Animarum nexus morte sola discindi poterint, poterint neque morte solvi. Non desinit *Amor*, licet desiit quod amatur. Tunc quoque, cum fuerit, non

non videbitur Anus conjux, & quæ defloruerit forma, fideli mente ſervabitur illibata, & ſaltem memoria amabitur jam paſſa Metamorphoſin pene ignota uxor. Tunc quoque cum fata erl- puerint, quaſi tantum abſentiæ per intervalla diviſus, ſpirabit memori in animo ſuperſtes uſque-uſque amicus: quoties dulci cum ſpectro miſcebit amplexus, negabit periiſſe. Nihil agitis, O *Parcæ*, adhuc colloquimur, adhuc duo ſumus. Aliis Hominem eripuiſtis, mihi nec umbram quidem. Prius tantum eadem anima, nunc etiam corpore utimur. In Nos, ut in Aſtrum ſuum & cœlum, recipitur. Res perpetua amor

Iam circulum ſuum confeciſſe *Amor* videatur; qui ita ſemper eo redit unde proceſſit, ut perenni motu divina imitetur; ita in ſe deſinit, ut ſemper incipiat. Neque enim amat, ſi quis aliquando aut minus, aut non Circulus eſt.

omnino

omnino amare poterit. Non enim, ut cæteratum rerum, ita *Amoris* finis, aut satietas est; nec, ut fames sitisque, assumpto cibo sedatur: qui, dum expletur, non extinguitur, sed succrescentibus irritatur deliciis; &, tanquam novo indies spectaculo, dilecto vultu luxuriatur. Perenne capit oblectamentum, perpetua urgetur aviditate, & semper invenit quod ultra expetat. Contemplantis animi, & cœli ad ritum perpetuo movetur, non quiescit; nec lassat iste, sed reficit labor, ita unius finis beneficii, gradus est futuri, & geminato irritatus ardore Hominem primo, deinde beneficia sua fovet.

Mortis Amat. Immortalem oportet esse *Amorem*, vel quod æterno dicatus, vel quod in se semper subit Mortis vices. Quis enim nescit testamentum simul *Amantis* & fatum esse, unde animam ab ore alterius legendam extremo

ſuſpirio exhalat, ſuique hæredem ex Aſſe conſtituit, unde bona diſpenſat. & illuc ſupellectilem tranſmittit, quò demigraturus eſt? Cui vatum divina ſors contigit, extra ſe rapi, vitæque quaſi perpetuæ extaſi frui, propriáque exui animâ, ut alienâ felicius impleatur. Fidem mihi facit tranſmigrationis & μετεμψυχώσεως ſuæ, dum amat Pythagoras, non, dum philoſophatur. Cujus deſultoria anima, & emiſſitium pectus, depoſitis ad libitum, quaſi veſtimentis, corporis exuviis, ſedes ad amœniores & pulchrius hoſpitium, velut ad Elyſium, evolat. Ante hunc obitum nemo felix, quem præſtant *Amor* & *Philoſophia*: hæc, animum pulchri contemplatione colliqueſcentem ſolvendo à corpore; iſte, pulchri ad complexus emittendo. Inde faſtidium, hinc fuga exituſque ſui: utrinque accerſitur pulchrum ſine neceſſitate fatum, & Hic Pythagoricæ Tranſmigratio.

velut phœnici magna libido pereundi. Ad lautioris conspectum ædis (delicatularum more Dominarum) subit primum sui fastidium domicilii, & superba ægritudo; deinde ad oras illas florentes peregrinatio, in quibus quoniam nasci non licuit, volumus hospitari, & consenescere, aut quasi repetitis vivendi rudimentis renasci. Quisquis es qui hos neges Animarum transfugientium excursus, attentius specta, ut ea semper parte manifesta conflagret anima quâ propius accedit ad *Amasium*. Si jungantur dextræ, distribui dices in digitos palpandas animas, seque mutuò ptensare, & nectere. Si conferantur latera, exsultare præcordia, & glomerantes subito illapsu spiritus illuc senties facto agmine concurrere, pulsare, seque (uti solent Rustici) verberibus salutare, exitumque pene rupto carcere quærere, & elustati. Quo dicam fascino

fascino ad conspectum chari capitis evocatur subitus in ora Rubor. & sanctii pectoris index exsilit in sorientem; non aliter quàm hominis cæsi index cruor erumpit in Homicidam, vulnusq; redit in vulnerantem; dum hinc ad vindictam nescio quo instinctu, inde ad medelam festinat purpurea Anima? Vide ut avidè captant fores Animæ in auribus excubantes, & in eos mox se convertunt Spiritus commutant, dum verba miscent, & in illa ipsa immigrant vota, quæ loquuntur. Vide erantes ex oculis perenni effluvio Animas cupidis obtutibus sese consumere, & frequens deliquium pari spectando. *Amantibus* idem prorsus effari est, & exspirare; idem videre, & sese extra mittere; spectare, & transire in spectaculum. Adeo festinans ad exitum totus homo modò in oculum, modò in aurem migrat, & eâ solum parte vivit,

Vnde ex conspectu Amissi, Rubor.

Vnde deliquium.

qua suo fruitur Socio. Sic homines *Amor* contractiùs cogit spirare; &, ut quædam imperfecta Animalia, unico sensu jubet esse contentos. Atqui verò hoc est divinum hominem, non mancum reddere; ex quo pauciora vitæ instrumenta postulat.

Est Animæ extensio.

At unde suave detrimentum Corpus, inde capit augmentum Anima; & expansione quadam in majus diffusa, quæ unius tantum pectori nata est, nunc & alterum regit. bis victura. Inter duo corpora confusa nescit cui potius formata videretur, ut in omni Amore incrementum agnoscas. Quisquis amat, inde numerus est: *Antipherontis* fato, assiduum secum circumfert consortium, seque altero sodale fruitur. Si tamen numerus hic dicendus est, quem mihi computat idem calculus, quem unus distinguit, homo, commutatis vicibus hinc

Unum in multos diffundit.

inde

inde positus. Fœcundo errore non aliter Amantibus, quàm potantibus, bina apparent omnia. Sed eo ritu bina, quo & ipsi oculi; quorum unicus unice motus, unicus visus est. Duo hic videas adeo arcte in amplexus irruentia, ut in unum transeant; & amplexus perdant velut intra se complicatis brachiis. Dum *Salmacis* fato idem sic, quod petit, & petitur; nescit an amet verius, an ametur; nec fruitur, sed convertitur in votum. Vah, ludis fraudulenter, munifice *Cupido*, dum intra pectus condis, quod ad amplexus requiro. Nimium propitius es; fac aliquid contra, ut duo simus, ut esse nos sentiamus quod volumus. Obstat cupienti, nimium frui. Obstat eundem esse, quem ad partes voco. Idem usque velle & nolle, nihil consortii affert, ludibrii plurimum & fastidii. Dum consulimus, invicem tantum assentimur; non mutua officia, Unum ex multis facis.

ſed delicias nobis facimus. Videor umbram pro Amico complecti, quæ veſtigia ſemper premit, & motus imitatur meos. Abſiſte precor, O mihi meipſo junctior Amicule! faxis quantum potes, bene Velle, ſed minus Amare.

At, O Cordium Tarpezitam *Cupidinem!* O inſtrumentum commutandi, & utilem ſyngraphum, unde eadem illa proplaſtica compaginandi corda! eadem vis quæ unum ex multis facit, unum quoque in multos diffundit! Sic eadem eſt unitas, quæ cum ipſa non ſit numeranda, exit tamen numeri principium. Sic eadem ars eſt, quæ res multiplicat, & ſubducit in ſummam. Neque hoc detrimentum exiſtimamus, ſed compendium; niſi quod amplius prodeſt vires colligi, quàm extendi. Eò perfectior quæque res eſt, quò ſimplicior. In nullo ſpacio aut numero comprehendi, Dei eſt.

Quic-

Quicquid optimum, quicquid ſummum eſt, id unum eſſe oportet.

Ut ergo hoc perfectionis habet *Amor*, ſummam unitatem; ita & altero gaudet perfectionis titulo, ſeſe communicare. Quicquid enim perfectum eſt, hoc uno modo creſcere poteſt, ſi ſe diſtribuat. Hoc, cenſu in ſuo ſæpius ſcribit, quod alios ditat augetque. Hinc ille benignus Animus, natus ad humani generis patrocinium, tam facilis ad Amorem, quam omnium Amore dignus, illud inſtituit liberalitatis genus, ſeipſum alteri donare: quod unum proprium hominis bonum eſt, & primitivum munus. Cætera aliena ſunt, nec in noſtris numeranda; quæ non magis quàm Solem hunc & communem Auram poſſumus largiri, & vix jure utimur, verum non ſine rapina donamus, cœli nimitum & fortunæ Beneficia. Primum donum eſt.

Ad Numen propius accedit quisquis amat; eoque huic uni cum Numine incumbit, *Prodesse*. Sentiunt itaque & qui animis maxime valent, æque ac qui corporibus ingenuos generandi, id est, dicendi pruritus, capitis puerperia, & castissimam propagandæ virtutis libidinem. Etenim fœcundas mentes, uti fontes undarum vi æstuantes, eluctans intus Anima, & singultiens spiritus impellit, ut sese effundant. Tantum abest ut ab egestate proficiscatur Amor, ut opulentiæ nomen sit, maximeque adveniat naturæ subsidio, nisi quis ægritudines nominet ipsa remedia, quia cum morbis conjuncta. Non libet amplius de naturæ angustiis queri, postquam ingenuum illud humani generis commercium indulsit; quo quisque se tradit & alium accipit, (neque enim *Amore* nosmetipsos prodigimus, sed commutamus) imo

Opulentiæ, non indigentiæ nomen.

Ingenuum est, commercium.

imo quicquid in alio divinum est, suum transfert in Ærarium; alienis Hæres accedit opibus, alienis quasi suppositiis doribus expolitur, suoque in altero defectus supplet.

Fallor tamen, aut nulla in Amicitiis negotiatio, nullum aucupium subest; sed neque hoc Amoris præceptum est, UT AMER IS AMA. Gratis, & sine pretio adacti, hoc quodcunque sumus alteri impendimus, communicandi tantum animo, quanquam commutandi fortunâ. Quid enim liberalius iis Amandi exemplaribus, Deo, & Parentibus? Quorum affectus, omni gratitudine majores, coli tantum possunt non rependi. Illic tamen ubi improbus esset omnis gratitudinis conatus, vices constat referri, dum ipse cultor Dei, opificium simul & opifex, Deum facit adorando, & genibus ex suis (uti ex femore *Bacchum*) *Bacchi* Numen parturit

Non commutandi, sed communicandi animo, quanquam & commutandi fortuna.

turit Pietas. Et idem ille qui parentibus vitæ brevem usuram debet, iis vitam reddit posthumam, transmissæ animæ non magis hæres, quam custos. Aspice vitem *Cupidinis*, non *Bromii* Arborem, ut mille brachiis ambit, mille amplexibus sollicitat virum; ut illi uberius præsidium præstet & ornamentum, à quo fulcitur. Non alia onera quam gemmea dona & umbram apportat, unde ab injuriis Cœli defendat, quas ipse sustinet. Dixeris, non auxilia petere, sed ferre *Amorem*. Unde amplitudinis tessera est, & superiorum sors, libentius *Amare*, quàm *Amari*.

Amoris à sacris & castris amandatur quicquid infirmum.

Ite nunc quotquot creditis non Benevolentiæ causa, sed Profugii, Homines uti imbelles feras coire: Sciatis illum quem olim puerum putastis, denuò adoleviſſe, *Amorem*. Sciatis ab his sacris quicquid infirmum est, sive sequioris sexus, seu debilioris

ris ætat's, procul amandare ſteriles cultus, & male pia opprobria malitia ubique vacant, neque *Cupidinis* caſtris ſacramenta dicunt pueri, fœminæ, ſenes, neque (quod his omnibus infirmius nomen eſt) improbus animus. Proh? Humanitatis certamen quale inibitur ubi vincere, aut vinci pudor eſt, ubi honeſtior fuga eſt? Quale inter hos fœdus & conſortium, qui nihil habent commune præterquam unum hoc, *Vivere*?

Quid autem iſthæc laſciva ætas, quæ ſodales juxta ac ludos in horas mutat? cui textiles in Aulæis viri ad conſortium unice placent, veri terrent Homines. Cui odii & Amoris cauſas ignorare Innocentiæ meritum eſt, & digna miſeratione virtus. Quæ quoniam omnes, tanquam parentes, pari affectu proſequatur, omnium ſubinde tanquam parentum promeretur indulgentiam.

Excluſuntur pueri, ut virtutibus, ira & amicitiis immaturi.

Ami

Amicitiæ adhuc impar. Quanquam & hic amabilis Benevolentiæ error, quoddam videatur humanitatis rudimentum, & amicitiæ Tyrocinium.

Senes & emeriti, qui molestè nimis aut delirant, aut sapiunt nimis.

Quid altera ista severa nimium ætas, non sibi magis quàm aliis molesta? Ista scilicet, quæ baculum sola deperit, aut pro ligno Hominem sumit, in quem reclinet; quæ toties alteri irascitur, quoties Podagra furit, suosque morbos querula imputat quasi crimina amanti; quæ, tremulo non magis corpore quàm animo, omnia pro suspectis habet. Etiam officia expavescit, tanquam captandi artes. Nimium illi placere, est Pollinctorem agere, & quasi mortuum ungere. Juventutis luxus mihi invidet semper, aut castigat transactæ Adolescentiæ ad exemplar; meosque mores culpat, ut suos jactet, meus nimius Rivalis. Elatum crederem, dum audio Annales,

&

& Epitaphia ſua quotidie recenſentem; monitus aſperiores patior perinde ac jurgia & lites in hoc perpetuas, quod non unà conſeneſcam, unà commoriar Importunus rugas in me ſuas exigit, & iſtam ſenii virtutem dicam, an morbum? *Sapere & ringi.* Videor ſane coram Magiſtratu ſiſti, & cenſuram ſubire, non ſodalitium. At quiſnam erudelior *Mezentius* cadavera caleſcentibus deſponſat amplexibus? & inter vitæ delicias præcipit deliria, & conſilia? Quis iniquus Arbiter me cum alterius ævi homine jubet retrò vivere? quem paulo familiarius habere, nefas eſt; & revereri, id ipſum eſt extra Amandi fines & humanitatis jura quadam Apotheoſi proſcribere. Verùm uti teneros animos prodromis naſcentis amoris deliciis imbuit Volupe iſtud cum pazibus ludere; ita etiam emeriti caloris ultimus aliquis conatus videatur, ſive adoleſcen-

lescentium infamiæ deliria sua blandius attemperare, sive cum coævis unà tussire, veterumque Amorum recordatione & invidia frui. Quibus unum hoc restat; missione jam nolentibus datâ, alienis Amoribus interesse, præcepta quasi philtra miscere aliis, & suspirare; molles erudire amplexus, & optare. Etenim hæc Cadavera, quemadmodum Animæ, sic & flammarum reliquiis misere palpitant; quæ non vivere faciunt, sed vixisse ostendunt; tædasque *Cupidinis* nunc denuò usurpant ad funeris pompam.

Fœminæ, ut div isi ab homine generis animalia.

At O *Cupido*, O *Hymen*, *Hymenæe*, quam impares faces accenditis! virum cum fœmina! hoc non jungere est, sed perdere; nempe infelicius par, quam animam cum corpore: cujus consortium dum oblectat, infra se demittit, & dehonestamento est; dum inservit, fallit, & detrimento est. Alteram ex adverso lancem

cem non implet fœmina, ſine Auri pondere. Opus eſt ad hos amplexus, hæc ad oſcula, dote & ſtipendio. Conducite hanc felicitatem, non gratis admittimus. Neque tamen inter conſortia humana, ſed inter peculia numeranda eſt Mulier. Thalami ſupellex & menſæ ornamentum. Sic cum illa quemadmodum cum catella luditur. Non degitur hoc quodcunque ævi eſt. Cui pigritiæ & luctus tempora ſola permittenda ſunt. Cum nocte aut cœna veniat Lux mea, horaſque perdat etiam invitis nobis perituras. Hæc vitæ intervalla, & reſpirandi Parentheſes, & vacua actionum vix ſatis implet: ad iniquæ naturæ penſa, & ævi noſtri diſpendia accedit ſomnoque & cibo gravius damnum eſt, uxor, dicamne? & dicam ſanè, pace Gynecæi, quod ſentio. Ego has humani generis expletivas particulas, quaſi in orbe muſcas conditas exiſtimo,

istimo, ne humanis rebus vacuum contingat. Ego totum hoc futile genus, medium quoddam Animal semper duxi, quod hominem, Centauri instar, cum fera componit, & quasi utriusque Naturæ & metamorphosis confinio delineat. An vero hoc consortium dicitis, quod id unum homini præstat, ne solus sit? Plus satis est illis, si Rationis vim agnoscant, & sentiant, non utantur; &, ut Animantes natura sua efferæ, consuetudine demum mansuescant. In his nihil magis timendum, quàm ne sapiant, aut aliquid sciant ultra silentium, & oblectandi simplicitatem.

Amicitia rationis opus est, judicii res æque ac affectus:

Sanctior res est *Amicitia*, quàm ut amplexus vel honestos adscisçat, quos deprehensa debet erubescere. Augustior hæc flamma est, quàm quæ adjunctam unà levitatem patiatur. Imo arctius connubium est, quàm ut admittat vel sexûs discrimen.

Supre-

Supremum hoc est Rationis opus, eligere cujus moribus libentius vivas quam tuis, cujus arbitrium sequaris tanquam proprium; aut etiam exspectare dum eligas quem ames: ita deinde *Amare*, ut qui impetu, non judicio rapitur; ut qui semper amare incipit, tantum abest ut desinat: Hoc est impatientiam cum constantia jungere: hoc est, consignatam in animo Ideam ipsa cera expressius recipere, tenacius servare. Imo vero istud est virtutis negotium, unam votorum mensuram figere; eosdem mores per omnes fortunæ vices sibi similes fingere; duos denique ita componere, ut quod uni vix contigit, unum hominem agant. Quos eadem velle semper necessarium sit; quia non nisi optima velint: Summâ quoque gaudeant oportet communione; quia virtutes, quas sine invidia possident, impertiunt: adeoque hæc animi

quæ sola secum consentit, & præstat. duobus unam vivendi regulam.

Virtutis negotium est.

Cujus fine detrimento commu-nio.

nimi bona magna aviditate effundi expetunt; & mentis candor, non secus ac cœli lux, perenni incremento sese prodigit. Item firmius vel *Stoica* fatorum catena vinculum, ubi perpetuam animorum cognationem inducit, non eandem parentem habuisse, sed eandem vivendi originem, *Rationem*; & quod vim habet vitaliorem) ejusdem honesti affectui imbui potius quam eodem sanguine; iisdem desideriis pulsari pectus, quam vel eodem spiritu micare arterias. Eadem ultimo numerare bona & mala, chariora longe nomina, quàm communia pignora. Parum est eandem animam, parum divisam credere in duobus. Habent eandem mentem in duobus unam. Diceres vel nulla cogitationis invidia distrahendos, ubi nihil relinquitur quod duos distinguit. Quicquid enim distinguit, aliquando etiam dirimit, imo infensiores reddit

dit (quod ex altera parente, & ex femisse cognatis evenit) ipsa propinquitas.

Frustra, ut cætera virtutum, ita & nexus & amicitias imitantur vitia. Quibus eosdem habere voluptates, perinde ac eosdem dominas, odium ex amore accendit. Eadem habere commoda (quanquam & hoc religiosius sonat, quam vel eosdem habere parentes) male ominata ex necessitudine invidiam pascit, & rixas illis, sese mutuo deprædantium, vel corvorum, vel etiam cohæredum majores. Haud alius invidebit, sed mirabitur in unum convenisse; etiam convenisse negabit, aliter quam in una puppe navigantes, quos conjungunt metus & pericula; quosque mox in portum delatos navigandi felicitas solvet, societatis faciet naufragia, quasi coorta in terris tempestas, negotiatio, variasque in plagas dissipabit iste regionum major

Vir malus non est sociale animal.

Secum ipse dissidet, se fugit.

major quam hominum affectus. Qua fide cum aliis conspiraturos auguraris, quos ad hanc consuetudinem benevolentia non impulit, sed ingens sui fastidium? ægre se patiuntur, seque devitare inter turbas moliuntur, non delectu ullo, sed quo licet suffugio. Quis enim illis placere possit, qui sibi ipsis displicent; qui mores illibatos & sui dissimiles quasi exprobrantes aversantur, & horrent, ut Sontes Magistratum? Mores autem æmulos (ita metuunt vel ab imitatione probari) quasi rivales, ne extrudantur, extrudunt; & aufugiunt uti deformes Speculum. Hæc prima est improbitatis pœna, se vindice etiam inter homines damnari pessimæ solitudini, malefidis sodalitiis; huc adeo omnia magno conatu frustra agere; tot obsequiis aliorum mercari affectus; blanditiis stipendia conductitium locare animum, & Amicos sedulo colere,

In alium incidit, non benevolentia, sed fastidio sui, delatus ad societatem.

In moribus qui nec similes patiuntur, nec dissimiles, tanquam ulcera contactum fugiunt etiam medentis fomentis.

colere; non aliter tamen ac ſolet calceos tergere, & jumenta curare, utpote nimirum ſua miniſteria, ſua pecudia: omnia denique ſui unius gratia ſatagere (quod grandibus beneficiis ſolet fatum accidere) omnia, ingratitudinis damno diſpendere, ſuique odio, ſuique tædio, inter hæc fortunæ lenocinia flagrare, expavſcere. Quiſquamne illic, quem ſibi infenſum videt, ſeſe alterum eundem fiſteret? Quiſquamne hujus ſævam benevolentiam, quem nollet eodem animo amare, quo erga ſe ipſum affectus eſt? Cujus ſerenos vultus, tanquam illos *Martis* aut *Fortunæ*, debet metuere, gaudiiſque ſuis timidè frui, tanquam inſidiis, aut deliciis proximo ſole & vento pereuntibus. Videor mihi videre male ſecum cohærentes gemellos, non diſſimili ſpecie quàm diſpeſſam Aquilam, ubi complexus colluctantium, ſimiles vultus.

tus, quales in divortiis aversi; & contrarii volatus, sese semper fugientes, semper retrahentes. Solve male coactos nexus, O rerum Arbiter, tuque audacior rerum opifex, Pictor. Avolabit continuo, seque destituet dimidium Monstrum; jamque constabit, non sponte sed errore coiisse. Apage *Veneris* deforme prodigium: horret Natura, horret, istos plusquam monstra diversi generis Animalium coitus. Nihil hoc Amantium genere infelicius. Qui Imperatorum veterum, aut Avium ad ritus, vagum conjugium ineunt, sed stata luce, sed solennibus *Hymenaii*, mox tamen elapsa tempestate solvendum: Cum deferbuit calor, nova agitur Repudii libido. Quos non ultra breve convivii spatium propitios conciliat gratia, eademque confestim saturos dimittit. Quippe qui vehementer ignorant id quod afflictim discupiunt. Fortuitus affe-

affectus, votorum insaniâ, uti olim fluctuum *Venus*, temere enascitur: Hallucinationibus sustentatur, mox cum primum ad sanum redierint, ultro damnandus. Dicam mehercule. quotquot impetu aut morbo amant, unà sævire, conflagrare, & febricitare; non consentire, non conspirare.

Non ad luxum, sed ad disciplinam orbis hoc severiore Naturæ edicto, quemadmodum *Lycurgi*, cautum est, Ne quispiam *Amatore* suo vacaret. O bene, quod par nobis Amandi ac vivendi necessitas imponatur, eodemque calore vigeat & exardescat pectus. Et qui sine numine, sine Deorum præsidiis superesse poterant *Epicurai*, non tamen esse sustinuerunt sine eo quem colerent *Amore*, cujus metu ac Religione jucundius sese exercerent. Ita malumus fingere potius Numina quàm accipere. Et quoniam insitum nobis est

Lycurgi idem & Naturæ edictum, Ne fas Amare neminem.

"Αδετον citius quàm φίλον invenias.

est *Amoris*, atque *Pietatis* instinctu agi, pari utrinque superstitionis Zelo, ne desit quod veneremur, indigna prorsus ludibria, catulos, feles, & quicquid *Ægyptius* coluit, in Amicos adoptamus, & Penates. Imo, absentibus procis, impatiens Amorum *Gellia* speculum, & imaginem suam mœchatur ipsa; quodque vel *Ægyptum* puderet, turpius *Naliacis* monstris Animal, suspicit seipsam: sed ignoscere juvat, quoniam omnes juvat idem insanire, & inepte potius quam nihil *Amare*. Velis nolis, aliquid semper velle necesse est; siquidem eo ipso, quod nolis, aliquid expetis. Cæteri quidem affectus ab Arbitrio nostro dispositi, aut impetu suo consumpti, facile exsolescunt. *Dolor*, si rationi non cedat, cedit tempori, cedit odiis: *Odia* ipsa aut difficili bile exagitata, aut metu, sibi imprimis displicent; *Metus* etiam, ut desint cætera

Ab affectibus cæteris nemo non est aliquando liber.

cætera remedia, malis ab ipsis possit opprimi, suique magnitudine victus, occalescere, & stupore sanari: quin & *Ira*, omnium ferocissima, lassata in clementiæ speciem mansuescit, aut satiata Animam in vulnere ponit. Unus hic affectus, qui luxuriatur adversis, & dum opprimitur, delicatiùs lascivit; non, ut reliqui, in hunc finem natus, ut restinguatur, contentus desinere, migrat in necessitatem & voluntarium fatum. Libertatem ultro exuit, quam in eo consumpsit eligendo, quod perenni desiderio & possidere simul & prosequi possit; quod nolit aliquando possit odio habere; & *Quis desiderio sit pudor, aut modus?* Cui vota si quando errant, ingenuo saltem errore ad omnia quasi ad pulcherrima aspirant: quibus indignus est, quisquis non ultra modum insanus, amplius adhuc inhiando, non satis se inhiare amplius sem-

Ab Amore nemo unquam vacat.

Iure suo insanus amor modum & finem nescit, quia ad optimum aspirat.

per fruendo, non satis frui sentiat, sibique plaudat frustra semper beato.

Ut amare neminem, ita amare non optimum nefas est.

Ita est: pari edicto sanxit rerum parens nefas esse, aut neminem Amare, aut non optimum: quorum istud est, inhumano fastu mortalium genus damnare; hoc est vero, pessimo parricidio seipsum dispérdere, cui cum vitæ optio est, natalium suorum Arbitrium obvenit, licuitque sese in alio refingere, malit perire. Unum pectoris regnum, sicut illud *Alexandri*, debetur tantum Optimo, quem quærere vitæ pensum est. Hominem scilicet ex summorum virorum dotibus, ex puellarum votis, compositum: Hominem nempe quendam Catholicum, ex omni virtutum Hyperbole ornatum, & quas uspiam invenire, & quas fingere licuerit, quasque tantum scire homini datur, non habere: Hominem denique qualem cum improbis votis formavimus,

Optimum, quod nusquam est in natura, opinione nostra supplemus, & varietate felicitatem consarcinat.

vimus; aut Ideam nobis aut Deum finximus. Jamq; eheu paulo digniorem invenimus, quam ut Amari fas sit, & tantum adorare liceat: Id demum, quod *Amore* dignum, dignius cultu est. Hæ flammæ aris debentur. In opprobrium sui hoc desiderium indulsit Natura, cui par non est explendo. Ne tamen in tormentum tenderet, quod maximi beneficii loco dedit (quod indies irritat nusquam satiat) quicquid rebus ipsis deest, ab opinione nostra id voluit totum suppleri, ut saltem delirio nostro beati simus. Supposititio pulchritudinis fuco eludimur; & prius fallimur, quam felices videmur. *Pigmalionis* instar, statuam quam fecimus deperimus; nec factam subinde, sed genitam credimus. Caligine nostra decepti nubem nostram pro *Junone* libenter amplectimur: & decipi quidem juvat; adeóque labi, falli, errare Humanum est. Non in-

fortunio noſtro, ſed voto, utili impoſtura fit, ut uberius quam Calculatorum præſtigiis fraus ipſa delectet ſimul, & lucri ſpecie non falſa ditet. Siquidem credulitate noſtra certius felices, &, quod diteſcentibus provenit, opulentiæ fama, & ſuſpicione locupletiores evadimus, quàm ampliſſimis fortunis. Iò, divitiis ſecurus fruere, ſi quas propitius Animus, non Deus tulerit. O auſpicatiſſima, non ſortis, ſed opinionis ſecunda munera! O bona, quoties diis iraſci, aut fortunæ jocari collibuerit, non deponenda! Quæ nulla vis, ſed nec altera opinio rapiet, niſi ut nova ſuppeditet. Eſto, Opinionem, tanquam Fortunæ ſororem, aut Naturæ, varietas delectet; non tamen varietatis cauſa etiam monſtra admittet; non hac levitate laſcivit ſed occurrit rerum defectui. Affectuum ſicuti & rerum viciſſitudines ad ſolatium & remedium, non ad lucem, ad ornamentum,

Hinc amandi levitas rerum occurrit defectui.

nantur. Nullo utique Hominis, ſed Naturæ convitio & infelicitate fit, ut vagos & alternos *Amorum* animos reprehendamus; qui veteranos indies ſodales, tanquam trita veſtimenta, exuunt; qui Homines ut Apiculæ flores, deſultoriè delibant; quibus quoniam (uti philoſophantibus Verum, ita Bonum, in fluxu & incerto poſitum, etiam viventibus videatur) ſcepticè propoſitum eſt Amare; neque inconſtantiæ hoc eſt, ſed judicii, cum delectu vagari, varioque mellificio ex omnibus carptim colligere, quod nuſquam ſatis occurrit. Nihil dignum eſt longo amplexu: Hæ quoque, quas jactamus, non virtutes, ſed virtutum umbræ, tanquam nobiles picturæ, extrema tantum acie ex intervallo ſpectandæ, intuentium mores non patiuntur, & lento viſu evaneſcunt. Tanti non eſt totum hoc Conſtantiæ nomen, ut clariora meri-

Judicii & delectus eſt.

ta non colam, ut majora fidera non ſentiam, quia ſub minoribus natus ſemel fueram; morbiſque & damnis adhæream meis, ne de ſtatu quicquam priſtino dicar decedere: ut denique Caſum, aut, quod ſæpius errat, Arbitrium meum, quaſi Fatum, immobilis patiar. Sine, precor, has divinioris particulas mentis, quam in te primus ſtupui, in alio adultiùs emicantes vehementius mirari. Sine hos, quos ipſe educaſti, Amoris progreſſus. Idem ipſe, qui me animi candorem tui, liliorum & vultuum nivibus, rudiſque ſimplicitatis facili ſatis, ſed fatuæ nimis & neceſſariæ humanitati anteferre docuiſti; nunc etiam docuiſti, conſpecto uberiore ſplendore, te contemnere, niſi ex eo non tam contemnere videar, quam illuſtriore ſub imagine impenſius venerati. Simili prorſus lege non extinguuntur, ſed adumbrantur minores facis;

ces, & præ pudore se abscondunt stellulæ, quoties exoritur plenius jubar. Quid hominum & Deorum fidem inclamas? Ea conditione amaris, donec optimus omnium, omnique major comparatione mihi aut sis, aut videaris.

Despice insensata Naturæ ἐφορπαίγια, (quanquam pudet tam infirmis exemplis vitæ documenta & virtutis debere;) vide ut omnia, etiam quæ pessima condidit opifex, ad optima instigavit, & præstantioris pulchritudinis admiratione & desiderio. Voluit scilicet injuriæ & pudendæ inertiæ conscia Natura, quæ res sæpiùs abortit quàm parit; & si ad exemplaria & Ideas respicimus, quot fœtus, tot & rara, & nihil præter monstra edidit: proinde vim artificem illis ingenuit, qua propiùs Ideas suas contenderent, sibique suam limam deberent. Postquam dimidiatum ubique

Appetitus omnis etiam insensatus, tendit ad meliorem naturam, tanquam ad Ideam.

opus currente rota emiserit, cum altero conjunxerit, & utrumque absolverit; una hæc cuncta urget extra sortis suæ leges exire melioris ambitio. Hinc *Clytie*, quanquam radicibus fixa, Solis sequitur fugam; & obverso avide in *Phœbum* ore, dum radios imbibit, subinde in stellam evadit, sed vegetabilem in stellam. Hoc æmulo ardore dum æthereas flammas saxa hauriunt, coneretum jubar ac solidam accipiunt lucem: olim rigidæ excrementa molis, nunc in gemmas transeunt, & facies vibrant, non minus in rupe, quam in annulo Amatoris. Hac blanda arte dum pelagus Lunæ non clarius imaginem, quam motus recipit, Cœlestis orbis Intelligentia, quasi sua gaudet. Hac amabili invidia dum Chalybs Magnetis quasi admiratione trahitur, & mox pronubo amplexu mutuoque anhelitu pretiosam exhalat Animam, jam quasi magnes.

Unde Amoris naturalis duplex finis.

magnes factus ſuas exercet illecebras, & tantum cuncta alia trahit, quantum trahitur. Ecce in rerum natura, non ſecus ac in vita ambitioſa paupertas agitur, & potentiorum cultus: neque quicquam in alio diligentius ſuſpicitur, quam fortuna. Deſit licet Philoſophus, habemus Philomathematicos fluctus, qui lunæ deliquia certius, quàm Ephemerides oſtendant: habemus Aſtronomos flores, qui Solis motus doceant, & pro Horologiis articulatim pereuntis diei admoneant. Deſit licet hujus Theatri ſpectator, & pronus in ſtuporem rerum contemplator, & procus; tota natura ſuiipſius veneratione rapitur, ſeque ſpeculantur invicem, mutuoque conſpectu paſcunt, ut uterque mundi oculus, ita uterque mundus; & hic inferior ſuperioris ad dignitatem aliquantum videtur aſſurgere, ea ambitione, qua plebs

Hiſpana, dum proceſum liceat majeſtatem æmulari, eaque arte, qua plebs olim *Romana*, dum populus Patrum in connubium admitteretur. Nimium proſpexit rebus ſuis opifex, quod *Amoris* tutelæ mundum commiſit, unde otioſum numen aut negari poſſit, aut contemni.

Præter iſta ulterior in homine Cupidinis ſcopus eſt, Divinitas & Æternitas.

Sed cum res aliæ ita ſint comparatæ, ut capere tantum, & egere poſſint, unus Homo novit diligere. In illis rudem Natura adumbravit affectum, ut in minoribus exerceret, quod in Homine ſollicito conatu expoliret. Quamquam & Hominum agnoſco iiſdem gradibus & incrementis paulatim procedere hunc affectum, quibus ipſe Homo, & diverſis quaſi natalibus vita, ſenſu, ratione dotatum; implumem primum *Amorem*, informis ſympathiæ inſtinctu prorepere, mox Cupiditatis alis incitati, ultimò in humanita-

manitatem exire, & rationem fieri, quod antea impetus fuit, aut prædominantis pondus elementi. Ubi enim tener adhuc calor pectori incubat, nedum disclusit palpitantes scintillas, sibi vix ausum credere desiderium; Ubi recens à vulnere Animus, nec ferientis manus, nec plagæ satis certus, illas concitat doloris stimulos, quos sentiunt infantes, quando ruptis gingivis dentes enascuntur: Tum cruda & ignara videas vix bene natos ad conspectus emitti ad conspitia, sicut myrtus myrto assibilat. Neque enim primis in gemitibus ultra nemus *Veneris*, quod oberrant vagientes Amatorculi, auras intelligunt, quas ventilant: dum nectunt sine sensu Amplexus. &, Pandiculantium more, extenta quærant cui innitantur brachia. Dicas licebit, Hederæ aut Vitis ista insitiva brachia, & sinuosos tantum ramos; ubi vero

In quo gradus & ætates Amorum omnium.

pro-

procreſcente Cupidine crepitantia figant & devorent oſcula, Palumbes intueris, non Homines; ubi laſcivis jurgiis querulos gemunt *Amores*, Turtures audis: qui porro amplius à natura compoſiti ad benevolentiam, blando & innoxio affectu proſequuntur alios, delphini & lacertæ præferunt Humanitatem. Verum profectò adultæ Homines flammæ rapit generoſior impetus, cæca quantumvis. Hac cæa vi, perinde ac obſeratis oculis *Idalia* Palumbæ ſurſum ferimur, & ſummo niſu in Cœlum, tanquam in nidum, neſcii contendimus. Uſque adeò Divinitatis avidam oſtentant indolem etiam Amantium vitia, & hujus unius affectus errores aliquid immortale ſpirant. Ut vel iſte impurior pruritus, qui inanes virtutum nuptias & animorum concubitus deridet, qui aliquid quærit, quod amplexus impleat, & *Vene-*

Species Amoris Adulterini, & errores Amantium

rem

rem colit, quanquam natalibus inde ſuis tempeſtates & vitæ naufragia minitantem, videtur non tam *Hymenæi* tædis, quam deſiderio æternitatis accendi; dum ſibi ſupereſſe tanta libidine expetiſcit, & longa nepotum ſerie, quà licet, ſucceſſivam immortalitatem conſarcire. Hic quem cœna tibi Amicum facit, quem velut muta Animalia objecta offa conciliat, qui ſumen & oſtrea, non te deperit, etiamſi ad ſtomachi dimenſum amat; & iſte, qui hominem eodem pretio, quo fundum æſtimat, eadem ſordida ſpe, qua agrum colit; & amicitiam velut quæſtuariam rem nundinali animo exercet, ſeque ſuas numerat inter amicitias: & hic *Amoris* non vanus æſtimator tanquam nummo utitur; ſed Deorum nummo, quocum homines cum Diis negotiamur, & diteſcimus numine: & iſte *Amore* ſuo fruitur ad luxus & convivia; namque

Aliquid Divinitatis aſpirant etiam qui negotiantur quaſi mercatura affectuum.

cloa-

creditur numinis ſummi æque ac *Veneris* nectar. Uterque ſane minore Avaritia ſuo proſpicit commodo, ſive qui patrimonium, ſive qui victum quærit ex affectu, quam qui liberali animo peritura bona properat donare, extra fortunæ fatique aleam transferre antequam pereant. Qui, ut-ut vices exſpectet nullas, nec venditet dona, ampliſſimum inde nundinum pretiumque retulit, Beneficiſſe; &, quamlibet magna dedit, majus ſibi munus repoſuit, Virtutem. Unde grandia donare, & qualia pudor vetat ſæpe accipere, amplius prodeſt Autori, vel quod verendum reddat, ut exigua ab eo non expectentur; vel quod eo uſque beneficium exhibeat, ut vel ipſo *Iove* & *Sole* magis neceſſarium: à quo beneficia pro debitis exiguntur; ut pro more ſuo & officio videatur facere, quoties munifice ſe gerit; ut largiendi frequentia & amplitudine

Liberaliores ii ſunt qui ultro beneficiunt.

rudine denuò gratias perdat.

Quid de illo ſentiam, qui delectare quærit, non Amare? Quem ego ut æſtivam arborem lætus adeo, quæ mihi otia præſtat & umbram; ſed ſæviente mox hyeme inutilem: Cui quotquot ſeverius amamus iſtud ſæpius intonare ſolemus, *Amicus*, uti Uxor, dignitatis nomen eſt, non voluptatis. Novam inveniſti extra amplexus libidinem. Hæc laſcivia, vel proſtibulis pejore, *Amorem* ipſum devirginâſti. Sedulo placere, captantium ars, & meretricii Sodalis blandum eſt venenum: lautius excipere, piſcantium eſt: magno ambitu adblandiri, *procorum* videtur. & *Amandi* rudimentum, haud *Amantium* vita. Abſit, ut id eſſe *Amicum* credas, quod dum cupis, Tormento; dum poſſides, nimium Tædio ſit. Non tamen longè erras, qui omnes uſpiam *Amatores Elyſios* ſpatiari

Amicus ut Uxor dignitatis nomen.

tiâri credis, & quacunque greſſus ferunt flores enaſci. Non alia Cœli gaudia ſunt quam *amare* & *amari*; non alia terræ. Divinus is ardor, qui Empyreum facit, & futuræ vitæ felicitatis erit, hujus unicum erit ſolatium. Cætera omnia patimur; iis ſolis fruimur, iis lætamur, quæ votis eruimus, quæ deligimus, propter quæ etiam cætera adverſa non patimur. Vidimus in tempeſtate geminos iſtos *Fratres* avido exultare concurſu, nec liquidiora navigantibus portare, quam ſibi-ipſis gaudia: quod lumine conjuncto contigit utriſque ſeſe in complexu perdere, geminumque inde reſtitui. Novimus & nube circumſeptos *Veneris* alumnos, tanquam fere ſerica ſub nube ſponſas, ſecretiore triumpho ad vota ſua perduci. Fatemur aliquid in Amore ærumnis potentius, honore auguſtius, divitiis ſplendidius, voluptatibus jucun-

Nulli uſpiam niſi qua amore voluptas.

eundius, cujus causa illa omnia contemnimus: imo propter quem illa non contemnimus, sed in veneratione habemus. Ita placet unice, ut per illum cætera omnia, etiam quæ evilescunt, perplaceant. Eo gaudet majestatis privilegio, ut nihil illi in probrum cedat; & ab infamia liberet, & gloriosa citius reddat vitæ dehonestamenta, quàm ab aliis dehonestetur ipse. Hinc adeò fit, ut inter *Herculis* labores decimus-tertius celebretur, & inter laudes decantetur, non minus colum tenuisse, quam clavum vibrâsse: quacum (licèt alias omnes feras domuit) restat adhuc vincendum non nisi suis attibus monstrum, Fœmina. Quid miremini *Phœbi* inviolandos radios, si *Cupidinea* faces rerum sordibus splendorem immittant, nec inquinentur?

Ita placet unice, ut per quem cætera omnia, etiam quæ evilescunt, perplaceant, & vitæ dehonestamenta transeunt in decora.

Quid frustra sollicito ambitu quærit in rebus divinitatem.

tatem fœneticus animus, si hanc secum afferat? & sanè quicquid amamus; id omne numen est: *Jupiter est quodcunque cupis.* Itane? sordidum istum, qui socium sine dote admittit, nummulis signatum exosculari, & prættinare, & numerare *Iovem*? Ita: sed *Iovem* sub auro fulgurantem, & conversum in pretium Deum. Itane & libidinosum istum prurire *Iovem*? Ita: sed *Iovem* sub Satyro genitorem, & conversum in flammas *Semeleas* Deum. Ita: prorsus & alter ille delicatulus, omnium libentiùs conviva, quam amicus. *Iovem* cœnat, sed Cygnum, & mollioribus sub plumis latitantem, luxuriantem: *Iovem* lascivit, sed *Ganymedeum*, & Nectare & Ambrosia madentem. Agnosco demum, nec prorsus falleris, O Rhetores numinum Poëtæ! Hasce fateor tam turpes formas induisse numini, non *Iovis*, sed nostros *Amores*.

Iupiter est quodcunque cupis.

Quo-

Quoniam verò nusquam consistit revolubilis *Amor* & vagus, nisi cum ad summum pervenerit, aut dulci fraude perveniſſe ſe crediderit, cum ſemper aut Optimi Maximi, aut quaſi optimi conſors ſit, huic acquieſcere, huic uni incumbere oportebit, tanquam animæ cœlo, ignis Centro. Non vacabit, opinor, ſi quæ ſit, novæ felicitatis avocamentis; nec ſuſtinebit alium, imò nec ſeipſum amare, minorem ſe queretur deſideriis ſuis, atque adeò huic, quod deſiderio implet & fatigat nimio, nimis deeſſe: & poſtquam uni totus impenderit, nec tamen ſat viſus impendiſſe affectus; manent neceſſe eſt erga alios omnes ultra *Stoicos* monachoſque inhumanus. Apage *Syracuſanum* monſtrum! qui novam excogitavit Tyrannidem, tertium *Amicitiæ* gradum; qui Amicorum par occidere non ſuſtinuit, dirimere tamen ſtuduit, & fidem

Amor tantum eſt unius.

quam

quam æmulatus est intercipere, conversus in Rivalem Tyrannus. Dic mihi, Tyranne, si ad gemellos hos tergeminus accesseris Amator, dic, quem prius intra sinum suscipies? Ecce alterum uris, pari ritu jam tibi invidum! Si utrumque æquis amplexibus jam tibi asseres, finge alterutrum ad mortem ducendum: vin' te hujus mortis successaneum? an alteri potius vivere? Stas, ecce! inter geminos magnetes dubius chalybs, utriusque voti confinio ab utroque detentus. Mori simul & vivere non sanus cupis. Neutrique & utrique adhæsurum *Amantem* perdit æqualitas affectuum. Hic à te lacrymas, ille risum fundi efflagitat: in hunc nimia fides & officia arguuntur, & ex alia parte impium te reddunt: ut distractus *Metii* quadrigis Animus, meritò cruciatus videatur *Metii* perfidiam luere. Sic fit, quoties deformi studio plures simul amare

amare ſuſcipis, quos nec unà intueri poſſis, niſi ſtrabo, aut bifrons evadas. Expende vero ſive imperium in *Amorem*, ſive obſequium: (alternis ſiquidem dominantur, & ſerviunt bona fide hi novi *Eteocles* & *Polynices*) utrumque ſingulare quiddam eſt, nec duos capit dominos. Si *Amorem* fingis Deum, gaudet hic uno cœlo: Si ignem, habet hic quoque unicam ſphæram: ſi Mortem, Dii vetant ſæpius exſpirare, Animamque alterius ſinu niſi ſemel deponere, cum conceſſerint tantum ſemel vivere: ſi ſpeculum, numiſma, & ſigillum *Amaſii* (quæ formam & pretium ab imagine ſumunt) *Amatorem* nominas; ſcias hoc ſpeculum unica ſemel effigie animandum; hoc numiſma unius unice regis dominique vultu infuſo ditandum; hoc ſigillum quaſi epiſtolare omnibus aliis præterquam uni clauſum & obſignatum. Proinde hæc omnis

omnia non aliam posse capere novam imaginem, sine prioris detrimento; sin autem in amicitiis spectes Animarum nuptias, ad viriles *Hymenæos* summum nefas statues polygamiam admittere, novum quempiam ducere & denubere priorem, & cum Amico mœchari.

Polygamia Animarum in nuptiis par incestui nefas.

An ergo affectus iste, qui humana consortia ab armentis secrevit, nimio cultu homines circumducit ad feras, & ad *Stoicam* barbariem, hoc est, contemptum omnium? Sicine unius *Amor* humano generi odium? Superi prohibete! *Amicitiâ* & *Philosophiâ* nihil humanius, nihil profecto benignius, nihil quicquam majus (exceptis Superis) orbis patrocinium. Jam faciles, mollesque, & ex ipsa consuetudine ad benevolentiam proni Animi, quales nuptarum esse solent, ergo omnes alios minus difficiles & pervicaces induunt mores. Radios nihilominus orbi diffun-

Ita tamen unius est, ut non erga alios omnes inhumanus;

sed, qualis esse nupta solet, minus difficilis & pervicax fieri incipit,

diffundunt, *Phœbi* instar, quanquam peculiari luce *Rhodon* inaurat. Dedicatum alicui virum non aliter quàm librum scias; uni missum, omnibus legendum; sed post unum illum legendum. Gratulamur ubique candidis animis illis, Deorum simillimis, benigno pariter influxu non hominem, sed humanum genus foventibus: Qui gentes omnes, tanquam primi parentes, aspiciunt ut familiam suam, qui choros habent ex æquo universos, tanquam consanguineos; & quasi ubique nascerentur, aut parem cunctis, & commensuratam terrarum orbi jactarent mentium amplitudinem, Terram omnem tanquam patriam amant & ubique jure merito inveniunt. Atqui hanc non dicimus *Amicitiam*, sed Benevolentiam quandam & vagam Humanitatem. Neque vero hoc reprehendimus, aut minori accipimus candore, quam

Πολυφιλία non Amicitia dicenda est, sed benevolentia & humanitas vaga.

quo

quo utuntur & in hoſtes; ſed illos coërcemus in multo laſcivientes & auſticantes affectus, qui ſalutationum numero & Amicorum cohorte, tanquam affectarum ſatellititio, ſuperbiunt, iſta aucupantur virtutis inſignia juxta ac magnitudinis, Clientum turba calidi. At ſuperbientium hoc eſt Dominarum, & ſuſpectæ probitatis, ſimulato cultu aliorum inſidiari affectibus; blandas palam exhibere, ſed huic uni blandas genas; ſed & ſedulam componere formam; huic & alteri ſepoſitos dicare nutus; lenocinantes diſpenſare vultus; hinc inde pellaces riſus ſpargere & dividere; denique animam quaſi deſpondere; mox illaqueata (quod fieri ſolet) præda offam & lenocinia ſubducere. Proh nequiſſimum faſtûs genus! inter opes fœmineas & pulchritudinis augmenta numerare *Amatorum* greges.

Πολυφιλία citra benevolentiam nedum humanitatis eſt, ſed ſuperbiæ & ſuſpectæ probitatis.

Quia vero minus amare non

non ſuſtineat, & plus amare non poſſit, quiſquis genuino ighe incaleſcit in ſummo: nec ſatis eſt aliorum, niſi ſui-ipſius faſtidio laboret; & cum cæteris omnibus flammas, tum ſibi ipſi negat dividi, adeóque intra ſphæram friget propriam, & mediis quibus innatus eſt ignibus, tanquã gelidus Salamander, obſtupeſcit: quia totus extra ſe emotus, ſuique oblitus Animus, pro *Amico* omnia timet; pro ſe nihil, niſi ſe parum dignum gerat Amicum. Alteri ſapit, dum ſibi hallucinatur; ſeque fatis permittit, aut majori tutelæ, Amici Providentiæ. Hic enim & illi viciſſim curat, pavet, provideteque; Hic illi mentem ſubſtituit tanquam anima aſſiſtens, ut ad cœli ingenium videatur accedere, regendus Intelligentia? quia, inquam, ſe abdicat, quiſquis ſe alteri adoptat, & quaſi defunctum oblivioni tradit; cumque, uti par eſt, unice

charum habet, apud quem vitaliorem vltam ducit posthumus, & tanquam circa corpus suum pallens umbra ludit & commoratur. *Quisquis is est* Amorum *magister, iniquam statuit odiorum magis quam affectuum mensuram, sui ipsius Amorem: & improbè nos nobis ipsis proposuit Amandi exemplaria.* Quantuli quisque sibi est? Quotusquisque non alterius cupiditatibus emancipatus, moribusque non suis imbutus, minus alteri quam sibi vivit? Neque hoc à vitiis nostris, sed virtutibus institutum est, ut ministeria simus & alterius juris mancipia. Quædam sæviunt in autorem virtutes; & non sine nobis deserviunt, quæ sub aliis honesta merentur stipendia. Modestia illa, quæ sibiipsi dictat convitia, & omnem purpuram nisi istam pudibundi oris humilis aversatur, & ambit contemni; obstinatâ fronte glorioſior alteri laudes & honores sibi de-

debitos transfert : Alterius nomine quæ sudat Ambitio, fidei & candoris invenit titulos. Istud ferrum & æs triplex circa pectus hominem tantum procudit & fingit aliis in clypeum, ut, obdurato ad mali patientiam Animo, plagas ipse sustineat, quas ab aliis propulset. Nemo tuendi sui causâ moritur, ut ne moriatur, sed ut parentum, liberorum, aut alterius cujuspiam fatum intercipiat. Quid dixi, nemo moritur ? nemo vivit suo nomine. Sin tanta citra Amicitiam à virtutibus nudis & natura ipsa viget conspiratio & quasi dedicatio, ut minimam sui partem se quisque dicat ; pudeat hercle ipsi Amicitiæ (quæ virtutibus novas vires, cultum & humanitatem addit) benevolentiæ modum imponere alium, præter istum, Modum nescire, aut alios circumscribere limites quam quos designant amantium desideria. Non amet,

Benevolentiæ modus esto, Modum nescire.

precor, (neque fas est Diis dirioribus devovere, quisquis affectum regit, non regitur; quisquis ad præscriptum cautius diligit, tanquam osurus; aut si quis ad calculos revocat, viceſque deponens *Amoribus*, cum libra veneficia dat & accipit. Aliquis forsan redamat, nullus amat, qui ad dimensum *Amanti* respondet quemadmodum potenti.

Hæreo longa veneratione suspensus, ut qui divinæ formæ obtutibus aciem consumpsit suaviter confusus *Amator*, & incertus neque post Criticos aspectus quam partem nobilis pulchritudinis prius admiretur; eo tantum profecit, ut stuporem miretur suum. & ut omnes ubique elegantias summo honore quasi præcipuas haberet, temereque diversa laudantibus diversus & ipse assentiret. Audio *Dionysium*, *Amorem* Circulum definientem, à bono per bonum in bo-

Amoris definitiones. Et circulus à bono per bonum ad bonum redeuns.

Dionysius

bonum redeuntem; & fateor complexum ingenuum hoc Emblema. Agnosco dehinc, Annulos non solum *Amoris* pignora, sed hieroglyphica: Hunc circulum exprimit mihi *Cupido*, dum arcum adducit lunato junctim corpore. Hunc circulum exprimit mihi perpetuus Amantium calor, unà cum sanguine (quod ex comperto est medicis) in orbem circumactus; siquidem, ignis instar ætherei, ubi immortalis se pascit flamma, & sibi sufficit. Qui amat hoc quod amavit, sphærico motu sua per vestigia revolvitur; & qui amat tantum ut amet, idem revolvitur in seipsum & sese claudit.

Audio *Aristophanem*, & facile assentior, totum *Amoris* sacramentum esse, in id reduci unde fuimus. Quippe, ut naturali motu, omnia in ortus suos recurrere video. An exinde magneticas illecebras (quas omni terræ inesse fingunt)

Sacramentum Amoris totum est, in id reduci unde fuimus. *Aristophanes.*

gunt) Patriæ unice terræ inesse sentiunt una Philosophi, nauem & naves? Naturæ lege, iis à quibuscunque sumpsimus, impendimus Animam; & quadam pietatis serie, & quasi cognationum gradatione, colimus illa vitâ nostrâ chariora nomina, Patriam, Parentes, Deum. Nescio an hominem Amatorem dicam (*Oedipi* fato) & cæcum & incestum, an potius providum & sanctum; qui semper aliquid originis suæ deperit, & pio, quo solet, parentem ardore prosequitur. Neque longe errat, qui pro parente habet unde novam vivendi sortem consequitur, & postliminio natales instaurat magno pietatis pretio: dum quærimus animam reddere, reparamus, refingimus. At tu, O *Thales* in aquam, & tu, *Empedocles*, in ignem consiliens, alter casu, alter consilio, nimium properâstis; non Philosophiam solum, sed Philosophum

phum ipſum in principia reſolvere, & vitales particulas Animarum in Elementis ingurgitare. Sic tamen errores Philoſophantium excuſant errores affectuum: & dum mentes famelicæ juxta ac corpora iis nutriuntur, ex quibus conſtant, jurares Bibonibus liquidam Animam, Tyrannis ſanguineam infundi: diceres ſordidos è luto recens emerſos. *Stoicoſque* & barbaros è ſaxo rigentes adhuc manere hominum ſtatuas. Quod ſi fingimus cum *Platonico Ariſtophane*, è communi Animarum ſeminario, aut bicorporis olim hominis juncto contubernio, familiares & collegas in mundum religari non ſine divortio Animas; ecce & hoc ſuadet, ſive tam avide, quam ſolent diſſectæ vermiculorum partes, alterum quæritantes dimidium; ſive tam primo ſub aſpectu irruentes in amplexum, quaſi veteris ſodalitii memores viri. Ut totus

in memoriam migravit homo *Platonicus!* cui *Amare*, æque ac Philosophari, nihil aliud est quàm reminisci.

Philosophia prima est desiderium æternitatis.

Imò cui *Amare* hoc ipsum est Philosophari (utrumque enim philosophanti tibi lubens merito tribuo, O *Diotima*) hoc ipsum est dilapsas cœlo Animas, cœli perpetuum ad intuitum (sic Solis avis Solis tantum aspectu pascitur) unà cum corporibus suis erigere, & desiderio æternitatis vegetare. Hic est ille nescio quis ardor, qui mortalibus, Deorum semper æmulis, conditionis pudendæ tædium afferens, & subsidium, ea parte hominem qua fragilis properat exuere. Hinc pluribus oculis donari, utrosque simul fines terræ, quod nec sol valet, prospicimus. Hinc *Amphitruo* potuit simul domi & castris consulere; neque sub ficta persona conjugi etiam remotus adsistere. Hinc nullo circumscripti aut ævi aut spatii Termi-

mino, vitam amplius poſthumam degimus, aut per Amicos tranſcriptæ animæ cuſtodes, aut per liberos, tranſmiſſæ vitæ hæredes, & utrinque ſpirantes mutuas.

Talia mirantem occupat *Plato* propriore experimento; atque ipſe illico *Platonicus* juro *Cupidinem* hunc (quantumvis cæcum & ſola mente contentum, qua divina ſectatur, tamen ex viſu natum) eſſe deſiderium pulchritudinis fruendæ effingendæque in pulchro. Frui quidem volumus, non caſſo delectamine ſemper contemplari & procari, ut ex adjuncti ſplendoris, ſicut coeuntis ſideris concurſu, major accreſcat influxus, & ſplendor, aſtrumq; evadat in aſteriſmum. Proinde ut Picturæ, ita & nimiæ majeſtatis ora, ultra ſortem humanam ſpeſque noſtras blandientia, intuentes aliqua voluptate afficiunt, nullo deſiderio. Atque

Deſiderium pulchritudinis fruendæ. *Plato.*

ista pulchritudinis portio, quæ symmetriæ & coloris suavitate oculos recreat, atque vividi decoris argumento, Mortu. spectatores sæpius inveniet quàm Amatores, utpote quæ blandioris tantum prospectus amœnitates præstat, & gratias, quales picti uberius quam spirantes vultus ostentat. Nihil sterile & emortuum vitales commovet affectus, nihil exanime jus habet in Animam; neque major voluptatis fruendæ quam effingendæ voluptas est. Libido à Natura est, quæ Animo uti & vultui hanc indulget artem, ut ubicunque contuitus figeret, sese expungeret. Gaudet hinc omnis venustas speculo, & ne desit spectator, sese respicientem quærit sui imaginem. Te testor, Amatoriæ unà & sanctitatis magistrum, *Socrates*; qui idem usque satagis jam Philosophus, quod prius Statuarius, & homines etiamnum efformas, &

effingendæque in pulchr.

& expolis; verum non artis
ſolius, ſed materiæ pretium
arceſſis. Idque propterea
Thædros & *Alcibiades* in ſcho-
las, tanquam in Gynæceum,
conſcribis, formoſos Audi-
tores, qui Animam faciie
imbibant, & imaginem tuam
venuſtius reddant; ſcilicet
omnibus ſpeculis liquidio-
res & ipſâ cerâ magis cerei.
Quicquid illud eſt, quod
cœleſti luce, ſiderum inſtar,
mortalium invidiam ſuperat,
ſed religionem pellicit, quod
animos ad ſe rapit ſpecioſâ
illecebrâ, adeo certe totos
occupat, ut non ſinat aliò
converti. Nihil niſi hujus
radiis imbutum, nihil niſi
quod oculos ad ſe trahit &
ferit, mentes perſtringat &
incendat. Etiam vitia noſtra,
ſub virtutis ſuco & amabili
ſpecie, nobis adulantur. Et
quoties libet cum Natura er-
rare, & metuenda matribus
pignora in perverſis deliciis
habere, quoties inter greges
& monſtra quærimus ali-

Nihil amatur niſi pulcri nomine.

quid

quid humanis consortiis adscribendum, æque ac Cœlitum numeris, hoc in iis bellum ac lepidum jactatur non metuere rivalem, incongruam voluptatem Naturæ in jurgiis ostentare, atque aliquod denuo domino turpius intuentibus objectare. Nisi forsan contendat quisquam nihil esse in natura deforme; siquidem ista Animalia, quæ inter pudenda tenebris damnavit opifex, veritus lucis inquinamentum, suum habent ex horrore decus, & exteram orbis faciem tanquam nævi & umbræ illustrant. Neque enim quod aspectui minus adblanditur, ideo visu fœdum, sed rarum judicetur & infrequens spectaculum; quale delicatuli solemus quovis pretio emere. Quid illic non sacrum, ubi noctuæ & turpissima Animantia devotos sibi Deos & homines cultores invenerunt? ubi postquam nihil deformitatis, nihil quoque odii superest;

Quia nihil in Natura deforme.

Nihil quoque odii

pereſt; nec Antipathiæ nomen niſi inter philoſophantium admittitur ſectas? Quid mihi ſobrietatis in documentis refers, Quantum Braſſica vitem fugit? quantum ſcilicet Abſtemius medici ex præſcripto: non Bacchi faſtidio, ſed neq; ſobrietatis ſtudio, verum ſalutis conſilio. Sic Lupus Agnam, Ignis Aquam vorat & depaſcitur, nullo odio, ſed ſui conſervandi ſtudio: nec inimicitias vindicat, ſed intimo amplexu in ſe quiſque alium cupit convertere. Ita neque homo hominem, ſed inhumanitatem ut vitium horret, & ſibi metuit. Neque aliis dotes invidemus ſuas, tanquam iis infenſi, ſed nobis plus æquo ſoliciti; ſive qui alienam famam noſtrum dedecus exiſtimamus, ſive qui aliena merita ſimili probitate, ſed diſſimili ſocordia, voti ſolius labore nobis adſciſcimus. Si qua naturæ lis eſt, benigna certe lis eſt, & qualis reſpublicas conſtituit au-

invenitur aut Antipathiæ in rebus.

augetque, ſociale latrocinium, alterna per damna ſibi conſulere: neque ſpolia hæc eſſe dixeris, ſed conceſſu viciſſim dona. Ah ſævus *Amor*, ſi hæc bella ſpiculis tuis gerantur; ſi rapina ſemper & cædibus petenda eſt *Helena*, & tantum *Marti* conceditur *Venus*! Tanti eſt tamen ut huic placeamus petire. Neque miror, ubi ipſi Numina committit æmulus formæ ambitus, ſi tanta contentione miſellus *Paris*, reliquique Mortales certatim gliſcant pulchritudinis rivales. Ex quo *Amor*, mundi parens, rerum ex diſcordia Concentum elaboravit, mutuasque amplexibus & nuptiis *Vulcanum Veneri* ſociavit, hoc eſt, flammas undis, reſque diſſimillimas opere quaſi teſſellato conſtruxit; ex quo, inquam, tantam ſpecie & ordine hanc Univerſi molem prope ad ſpectaculum ornavit, Mundumque velut pictæ orbis tabulam exhibuit: ſtetit

tit ipſe, reliquorum more Artificum. Primus operis ſui Arbiter & Admirator; primusque paſſus eſt quas infudit ipſe pulchritudinis vires. Hæc eſt illa, ſi quæritis, ſpeciei ordo, unde res non mollitiem, ſed robur ſimul & ornatum mutuantur. Nihil aliud mihi videtur pulchritudo, quàm conſummatio, flos, & maturitas cujuſque. Illi pulchre & ſplendide eſſe cenſeo, ſi quid id totum eſt quod eſſe debet. Aſpice ut innatus idem ipſe vigor vires affert & ſpeciem lacertis; ut incoctus in gemmis rigidas inter ſcintillas pariter emittit & molles radios; ut vegetus in imo ſuccus unà fœcundat, & exornat æmulâ Smaragdis viriditate. Ita prorſus (experimur omnes, nec dum mirari deſinimus) frontem expolit compoſitus intus animus, ultra omnem fucum honeſtat ora ingenua cogitatio & mens deſæcata magis quam ſanguinem ſer-

Amor rerum & pulchritudinum Artifex (artificum more) primus operis ſui admirator.

Pulchrum eſt quod id totum eſt, quod eſſe debet.

Pulchritudo non mollities, ſed vigor & maturitas eſt cujuſque rei.

Idem innatus vigor vires affert & decus, & robur, & ornatum.

Pulchritudo est virtus quædã corporis, Flos internæ virtutis

Animæ effluvium.

serenat. Pellucet Animus per nativum velum, ut per bombycina vultus virgineus, aut ut per nubem sparsim radios disseminat, & diem transfundit obscurior *Phœbus*. Crederem incolam divinum dignum sibi metari hospitium aut pro habitu suo fingere, testitudinum ritu, coævum & æquale domino suo domicilium: usque adeo lineamenta Animæ exhibet corpus, ut nulla vestis distinctius videatur artus exprimere. Iste est, iste illibatæ mentis nitor, qui membra illustrat, & lucidis typis artus effigiat, ut Animarum similitudine possint Animas ad se pellicere; donec primigenia deprensa forma, & introspecto numine, luteum illum simulacrum pro vili habeatur. Quid enim? Quantula est ista oris forma, quæ oculos detinet novis indies pullulantibus gratiis; quam alteri alter stupentes ostendimus, quanquam divales me-

Decor omnis concinnitate seu proportione conflat; Animæ scientiæ, & morum corporis.

tu-

tuimus, admirationis tamen in partes vocamus auxiliatores cultores? Superficies duntaxat, imò color nos capit, imò quædam reflexio luminum, & tenuissima umbra; quæ, si diutius admiramur, inter spectandum defloresçit, evanescit. Quantula autem illa compages & strues artuum, quasi circino & amussi fabrefacta? At at! curatiorem cutem ultra homines jactant statuæ, fabricamque elegantiorem ostentant ædes quàm ipse dominus. Quantulus denique iste, qui supremam corporibus gratiam conciliat, nullis pictoribus imitandam, Motus? Sit licet ipso Cœlestium orbium & temporum lapsu mollior & æqualior, sine arte compositus & extra numerum musicum, hoc unicum habet tenuitatis patrocinium, quod dum delectat, ne etiam fastidio sit, transit, & extinguitur dum incipit. At plus æquo videtur favere *Amantium* erro-

In colorum &c

Linearum seu compagis, motuum consonantia, symmetria & harmonia consummatur venustas.

errorib⁹, & pulchritudinis encomiis, qui totum hoc, quod in corporibus venustum creditur, veri decoris umbras & conatus esse ducam potius quàm imaginationis deliria, & opinionis nostræ fucum. Ubique & illud, quod nos nobis fingimus, non quod cernimus, amamus. Dic sodes, unde tam mutabili decore eadem facies, quæ tibi sideribus pulchrior, aliis gravis est occursu? unde in his, illud tenerum & molle alieni sexus mendacium lenocinatur spectantibus; in illis, incompti vultûs horridum quoddam, & ultra virilem speciem ferox, quodque terreat maxime oblectet? unde his, quod pusillum est, oculosque fugit, quasi bellúm magis & delicatulum oculos demulcet; illis quod amplum est, oculosque implet, unice decorum & majestatis plenum videtur? nimirum oris elegantuli versicolor forma,

Corporis omnis gratia aut imaginaria est, aut opinionis fucus:

forma, ſicut columbarum colla diverſo de ſitu varioque aſpectu, imaginariam, mutuatur, quam non habet, venuſtatem.

Dicam liberè quod res eſt: quæcunque ſit illa, quæ paſcit oculos, ſpecies, aut imaginaria eſt, ejuſque ſortis, quam amittimus, quoties deſinimus blandiùs ſomniare; aut, ſi vera ſit, indigna quæ animam detineat, ſed irritet tantum, admoneat, & aliò mittat. Qui poſſit in eo vigere mentis ardor, quo ſolo oculus fruitur, quodque communicare neſcit? neque enim quiſquam, ſpeculorum aut undarum ritu, pulchri ab aſpectu, demptâ tamen mentium pulchritudine, formæ quadam contagione affuſum in ſe decus exſcripſerit. Deo certe cognatum, & menti noſtræ ſimile eſſe oportet, & incorporeum prorſus, quod infra animum hoſpitatur, nedum amari volumus; quanquam iſta cor-

aut, ſi vera ſit, tenuior longe, quam quæ animam detineat, ſed irritet tantum & aliò mittat.

Deo cognatum & Animæ ſimile eſſe oportet, id eſt, incorporeum prorſus, quod infra Animum hoſpitatur.

Etiam illa corporis pulchri udo molis expers.

corporis gratia quantulacunque vi pollet, expers molis est. &, animæ instar, tota in qualibet parte cernitur regnare & vagari. Manifesto conspicitur sive Animæ sive Ideæ fluxus & splendor, & nescio quis vigor; qui ultimo sese opere immiscens, totos se per artus diffundit. & in unam sui similitudinem cuncta formans, collectam gratiam in ora & oculos, velut in centrum, transfert & inserit.

Sed quia pulchritudine umbra Amoris tantum umbram parit;

Hic solium habet puer *Cupido*, qui colludit intuentibus, & fulgurantibus ex oculis lasciva face imbuit sagittas, & animatas vibrat flammas. Hic quidem à puero lascivit *Amor*; sed postquam adolescit, sedes & tela mutat: prius occupans inter mentem & corpus medium regnum, Aspectum, utriusque confinio innocenter ludit; mox autem in Animam assurgit, puraq; fruitur & siderea flamma; aut

ad

ad corpus descendit, & splendore, Meteori instar, fallit lubrico & fæculento. Ne sæpius arguam & contemnam, hoc ipso abunde damnabitur hujus affectûs infelicitas, quod vis illa magis absentes quàm præsentes urat; quod corporis aut aspectus aut complexus semper ad nauseam aut rabiem adigit. Male errantis insaniam *Cupidinis* quis Deus votis affligit suis? Quis cogit id desiderare quo maximè fruitur, & quod anxiè anhelavit tam vehementer respuere; citiusque seipsum fastidire quàm cupitis satiari? Fatetur se non ista quæsisse gaudia, sed ignavum, quæ tandem expeteret, dum oculi potius quam mentis sequitur judicium, cæco impetu in hæc incidisse. Sed quoniam hæ umbræ sunt rei ejus, quam esurit animus; ad eas, velut deceptæ pictis uvis aviculæ, consertim advolat; sed iis juxta ac pictis dapibus cruciatur

Hujus affectus error sui fastidio punitur.

tur uberius quam paſcitur. Agnoſco tamen (& qui acerrime declament, vim hanc fortiùs ſentiunt quã negant) has Pulchritudinis umbras amoris quoque umbras parituras. Et ſicut in Anima Dei ſimilitudinem, ita in corpore umbram quandam, utrobique numen ſub imagine veneramur, & inſciâ pietate divinitatis proci evadimus. Ita enim mens ad Deum, ut ad Solem oculus: cujus à lumine hoc ſortitur, quod videt, quod nec aliud quicquam aut juvat, aut poſſit videre extra hujus aſpectum: cujus tamen plenùm vultus intueri non ſuſtinet; & proinde ſæpius gaudet refractos radios, & caſtigati ſplendoris haurire imaginem, ſeque per debiles delicias & umbras reficere. Quicquid id eſt (ſive Dei radius, ſeu Ideæ reflexio, ſeu Animæ effluvium) quod pulchri nomine oculos animoſque capit captivos, divinum quiddam eſſe

In corpore divinæ Pulchritudinis umbram, in animalibus, Similitudinem Dei, utrobique Numen ſub imagine veneramur.

Pulchritudo, ſive Dei radius, ſeu Ideæ reflexio, ſeu Animæ effluvium, ſemper divinum quiddam eſt; quippe homini ſoli convenit pulchritudinem amare.

esse debet; quippe quod Hominis solius proprium sit, Pulchritudinem carpere & contemplari.

Da veniam, si & ipse pulchritudinis amore abreptus extra spatium meque ipsum ferar devius, meique immemor. Libet hic subsistere, ubi commorantem invenio *Amorem*, pulcherrimâ mundi parte, hoc est, in cœlo collocatum.

Hæc inter, iraſcor istis durioris supercilii spectris (quibus ad autoritatem sanctitatis est, nihil probare; qui humanitatis omnia tanquam in luxum solidæ benignitatis errata damnant) qui Deum hunc *Cupidinem*, lenociniorum ac cupediarum artificem, Tragœdiarum & nequitiarum omnium aprimùm poëtam vociferantur; quem nos experimur immortalitatis Proxenetam, divinitatis autorem. Hoc pretium simplex iste & sterilis *Amor* molli de luxu re-

(Amor simplex & mutuus.

por-

portat: etiam ubi gratia referetur nulla, par in *Amore* ac in Liberalitate proventus est: suam sibi gratiam retulit. Abunde jam mercedis est, Bene meruisse. His omnibus tamen quasi majus pretium quæritur, pari Amore rependi: ubi concalescentes Animæ, non aliter ac ferrum ferro acuitur, mutuo allisu expergefactas flammas & lucem intermiscent, seque fovent reciprocâ generatione: uni commutatis spiritibus, alter altero mutuo vivunt; & cordium in imo, tanquam pellucentibus aquis, repercussi vultus respondent intuentium. Medius Fidius, nil dulcius est isthoc, Amare aut Amari, præter hoc ipsum Amare & Amari.

His omnibus majus pretium Amori quæritur; Amore mutuo rependi. Cupido semper gemellus Eros cum Anerote una connascitur & adolescit.

Nil dulcius hoc ipso Amare aut Amari, præter hoc Amare & Amari.

Ubi enim infeliciter amatur, & nostris desponsantur amplexibus Animalia, naturæ quadam necessitate, aut vitio suo ingrata; ubi *Xerxes Platanum*, *Polydorus* statuam, *Lesbia*

Lybia Passerem, quasi solenni matrimonio complexantur, & metamorphosin non optant magis quam subeant, inque seipsis experiuntur fabulas poëtarum, *Amoris* numine transanimati, vique plastica & propinquitate affectuum conversi penitus in arbores, saxa, volucresque homines: non minimæ felicitatis est (ubi nihil consortionis restat, nisi ut idem ipse socii vicem altera ex parte agat) colloquia, responsa, suasque sibi delicias fingere, non ad alienum, sed ad suum arbitrium beatum futurum. Gaudere libet redeunte ad Authorem non irrito affectu; ubi illud oblectaminis reliquum est, quod in *Amoribus* præcipuum ducitur; ut *Amorem* redamemus nostrum, &, Solis instar, reflexo fruamur saltem proprio calore.

Nec minus voluptatis, plusculum verò honoris, affert altera sors, Amati: Unde

procantur latius homines aliorum affectus, quam ſuos impendunt. Hoc eſt enim ſine faſcibus & ſceptro regnum extendere Deorum proprium hominum in animis. Hoc magnas fortunas & virtutes oſtendit, & facit aliorum officia pati potius quam præſtare. Hinc tot conſpicua virtutum tuarum trophæa numerantur, quot poſt currus & veſtigia tua ducuntur captivi Clientes.

At ubi officiis utrinque contenditur, ubi humanitatis certamen geritur, non Aulicam ad ſpeciem, ſed ſummo cum pudore ſuccumbendi, & metu minus benefaciendi; tum efficitur illa reciprocæ benevolentiæ paritas, quam *Amicitiæ* nomine ſatis noto cohoneſtavit, ſed exemplo nullo, iſte *Lycæi* & morum dictator. An & hos reciprocos æſtus ſenſit natalitios, fluxuſque ſuos & refluxus Affectuum *Veneris* oſtentat? Eugeillam, quam

Amor mutuus eſt reciprocæ benevolentiæ paritas. *Ariſtoteles.*

quam diu fruſtra, cum gladio & bilance, Juſtitia molita eſt, facile humano generi *Amor* inducit æqualitatem: ſiquidem pares ſemper invenit, aut facit. Eſt, ubi fortunarum, aut meritorum ſæpius, quam locorum, intervalla dirimant Amicitiam. Deſcendat, oporter, ad Terras & numen exuat *Jupiter*, ſi mortalium capiet amplexus. Imo ſolicitus ne non ſatis familiaris viliſque habeatur, infra hominem deſcendit brutum numen, & contempru citius quam terrore faciles aditus conciliavit. Si te vis, *Sexte*, coli, non Amabo. Satis docuit *Semele*, quantum ſit ſupplicium, quamque ſuperba pœna, numinis pari congreſſus. Crede fabulæ: potentiorum cultus tantum inexpertis dulcis adulationi propior quam charitati, ſemper ſuſpectus eſt, quaſi plus petiturus quam impendit. Te Ambitio tua, non fides huc duxit, ut

Potentiorum ſuperiorum cultus Adulationis aut ambitionis, vix charitatis & fidei res eſt.

mercaris non Amicorum, ſed ſervorum numero accedere. Jam ergo pares ambo conveniſtis, poſtquam tu illum, ille te dignitatis diſpendio captavit. Nonnunquam tamen fragrantiori ambitione experimur, humiles dominos ſe dejicere, & dignitatis potius contumeliam pati, quàm eandoris decrementum. Deponit Imperatorem *Alexander*, & Amando perdit quos vincendo retulit; ſed majori titulos gloria *Hephæſtioni* perdit, contentus ut regat *Hephæſtio*, modo ipſe fiat pars regni ſui: *Hephæſtioni* reddit blanditias, quas ab aliis accipit: *Hephæſtioni* dum ſerviat, alterius orbis & pluſquam retum potiri ſibi videtur. Fatemur omnes, *Amor* eſt blanda & irrequieta cupiditas iis placendi, qui nobis (ſive forte, ſive virtute ſua, ſive denique errore noſtro) placuerunt. Tatum intereſt, ut ad vitam, ita ad amicitiam, quibus natalibus calor

Servitus eſt, haud Amicitia.

Amor, eſt blanda & irrequieta cupiditas iis placendi, qui nobis (ſive forte, ſive virtute ſua, ſive errore noſtro) placuerunt.

calor incepit. Non ideo minus perenni æstu cor agitat, & assiduo verbere pectora pulsat urgetque: ut impor tunus cultor aut delasset, aut expugnet, aut promereat, & demulceat, efficia officiis fovet, & ubique officiis locus nullus est, miser cassis conatibus famulatur, & semper aliquid præstanti similis, obligat benefaciendi vultu mores alterius, anxiis experimentis trepide explorat, & displiciendi formidine meretur placere. Hoc ipsum tamen beneficii loco habet, aliquando displicuisse; unde suos possit mores aut odisse, aut refingere. Hujus enim viri simillimum evadere, id est bonum & beatum esse, Quare medico solicitius pertentat intimos pectoris motus: conjecturis peragit mandata; & ignota adhuc domino vota exequitur & explet, antequam ipsum torqueant primis parturientis desiderii stimulis, nec unquam sibi Barclaii Icon Animarum.

satis-facier ipse, quanquam alter fecerit satis: ut constet non aucupandi favoris causâ, sed serviendi voluptate, instinctum hunc molestum sedulo cultorem officiis ipsis oblectare, quasi huic uni à natura genitum esset mancipium.

Quorumdam ordo & necessitudo, vel à natura institura vel à voluptate suscepta.

Scias enim, quandoquidem adeo sciscitari juvat, amandi juxta ac vivendi stemmata ac originis. Quorumdam est ordo & mutuus inter sese respectus vel à naturâ institutus, vel à voluntate susceptus; similium, aut dissimilium; quo illi conjunguntur, hi dissociantur. At illud sanguinis vinculum fortuitum opus est, neque ullum ostentat benevolentiæ meritum, quippe quam invitis pectoribus inditam non admisimus unquam, sed sustinuimus insciis. Nunc etiam quantum necessitatis, tantum & oneris infert. Ne illud gravius objiciam, quod nascendi sors imponat nobis etiam nequis-

Simplicitas in Epicteto.

quissimorum cultum: &, quod amplius adhuc pigeat, apud omnes jure quodam idem & par ubique pro more gentium affectus vulgaris exigitur, qui cum detrimenta non patitur, incrementa quoque non capit. Ignoscant mihi manes meorum, si longè sanctius *Amicorum* nomen venerer, quàm *parentum*. *Amori* sane totum hoc debemus, quod parentibus, traduci facilis pietatis errore, tribuimus: ex eorum enim amore mutuo, non ulla erga nos charitate (quos nondum futuros nisi ab oraculis noverant) hoc accidit nobis lucis beneficium sortiri. Nos quoque simili ἀστοργίᾳ lucem videre gaudemus, non parentes: utpote qui, parentum pariter ignari, alios quosvis (quasi genitores exstitissent, aut æque licuisset extitisse) blanda pietate prosequimur. Tantum & ætatula isthæc philosophatur, non esse nos hominis, sed humani gene-

Amicorum quam parentum sanctius nomen.

ris pignora, omnibusque natos; Rerum naturæ teneri gratiam cum homine agere. Neque vero domesticas Amicitias accendit alitque propria cognatio, sed consuetudo, & suavis illa Calamitatum & errorum societas, & ob communes miserias gratitudo. Fallor, aut propinquiore cognatione junguntur Amantes, & tanto arctiore nexu, quantum Naturæ præpollet Ratio; & major decreti proprii vis est, quam sanguinis. Eo si quidem firmius, quo suavius quisque sibi paret, & legibus suis obtemperat. Verum, utriusque his in unum conspirantibus, quam prono, quam placido instinctu animum impellit iste affectus, qui arbitrium nostrum tacito consensu cum natura fœderat? Si cujus ad Amorem (veluti ejus ad exemplar & proplasma, formante naturâ, componente industriâ) & geniti & instituti sumus, si quorum fidera

Arctior Voluntatis quam sanguinis nexus, quantum Naturæ præpollet Ratio.

dera ſocialibus flammis prius amplexus miſcuerunt, ſi quorum ſpecies naſcentibus nobis congenitæ ſint (ſpecies enim aliquas, aut tuendi, aut ſignandi causa, depinxit in anima rerum parens, quales in membris ſolet mater parturiens) ut avide prima haurimus ora jam inde ab utero familiaria, & certius quam longa conſuetudine nobis nota! ut imaginem hanc quaſi ex Animis noſtris ſurreptam, repoſcimus! ut hujus ſpiritum, & voces, quaſi vitales nobis auras, imbibimus! ut indeliberato impetu, & ſine blanditiarum mora concurrimus, quaſi diutina ex abſentia & divortio redeuntes in gratiam Amatores! Fœdere ſe mutuo obſtringunt, nec expectant dum ſanciant, liberrimo nexæ mancipio Animæ: ut qui Sacramenta dicunt, aut ſyngraphas obſignant, nec legunt, nec poſſint ſacros nexus aliquando revellere, & placi-

ta refigere ſua. Jura hæc non ſuo, ſed alterius conſenſu rata habuerunt; adeóque ipſum conſentiendi arbitrium & totum jus ſui in alterius arbitrium & poteſtatem dediderunt.

Amor Deus eſt.

At ô te Deorum minimum, Numinum maximum, *Cupido*! minus meritis eſſe crediderim (ſi quid majus tamen eſſe poteſt) quod te Deum fingunt audaces Philoſophi, Poëtæ. Quanquam illud Dei habes, ignotari, & probra ſacra ab hominibus referre. Illud quoque Dei habes, tacito influxu homines ducere, ut motus ſubeant, nec ſentiant, tuos, aut etiam invitos trahere: cui contrarii omnes affectus Majeſtatis ad nutus fatellitia præſtant, & obſequia. Quoties tibi jocari libet, demittunt ſe turpiter Superbi; Fortiſſimi lucida oculorum Tela formidant; Avari rapiunt munera, quæ aliis ultrò perdant; & de repente Facundus Illiteratus hæres,

hæres, non emit amplius cum Poëtis una poemata, sed ipse furit, & pangit. Ut altâ veneratione suprimam Dei cætera, esse te circulum, æternum, immensum, totumque occupare providentiæ munus istud, *præesse* & *fovere*: hoc unum fidem mihi Numinis facit, quod sola hæc religio vel impiis verecundiam ineutit. Ita procantur, quasi rem divinam facerent: vultus deficiunt, vestes circumspiciunt, & ad omnem reverentiæ habitum se componunt. Quorsum? ut Dominis tanquam Aras adeant. Imo verò, etiam ut decenter absint. Nam præsens ubique fingitur interesse quicquid Amamus. Operum Arbiter, virtutis & ingenii Administer, & fascinorum omnium auspex, à quo navigaturus serenum petit, peregrinaturus reditum, pugnaturus deditionem, & prædam quam illi devoveret. Posthac liberum sit *Amanti-*

bus

bus mutuatis è cœlo metaphoris salutare, & sibi invicem reverenter blandiri iis nominibus, sub quibus solent Diis immortalibus sacra & cultus peragere.

Neque herele quisquam est, qui tam facile Deo Numen invideat, qui sine cæde placandus est, nec, reliquorum ritu numinum, bestias poscit ad victimas, sed alacres cultores pro hostiis habet; flammasque, & aras, ne desint Templa, humanis pectoribus erigit; imo flammas ipse
Ignis est. substituit, & in ignem conversus Deus creditur cultus suos curare. Ita est, quoties emittit suspiria mœrore obductus *Amatorculus*, ignem mihi exprimit nube constrictum, tonitruque & murmura ingeminantem, & denique in fumos abeuntem. Quoties lacrymas exsudat, & excoquit gemitus, *Ætnæa* cogito incendia, & *Vesuvinos* æstus inter nives cinerumque fumos exundantes; aut illos in-

tueri videor medio in mari crateras. Quoties brevi ardore flammis scenicis se venditat commentitius *Amor*, fictilesque faces, & vana Meteora, æmulos cœlestium lampadum ignes, in homine agnosco. Quid, quod Ignis sorte soli humano usui inserviat. & Deorum cultui? Quid, quod una cum calore lucem emittat ingeniis, ut non solum *Bacchus*, sed & *Apollo* Amatoriis à flammis natale sortiantur? Quid, quod sæviat in obstacula, & ab impedimentis vires trahat: quod injuriis & offensis velut aquis aspersus alatur? Hos certe ætherei ignis mores exhibet, quod urit & reficit, quod immortalis sibi sufficit, nec pabulo egeat; scilicet ipso contentus sui pretium est *Amor*: quod inviolabilis, & sordibus nullis immiscendus, crimina, quæ non admittit, expiat, & tollit. *Vestalis* foci virgineos vendicat honores. Hoc denique habet

habet cœleſtis ignis, quod in mundi cuſtodiam ſupremus orbem circumambiat; quod ſumma occupet, cæteroſque tueatur & claudat affectus. Unum iſtud diſſimile oſtentat, quod infra ambitum ſuum vitali incendio animalia educat, & foveat. Ita duobus æquiparatur *Amor* eorum, quæ infra rerum hunc circulum vel ſupra ſunt. puriſſimis, potentiſſimiſque, Deo, & Igni.

Ita Amor fingitur ſimilis duobus eorum, quæ infra rerum ambitum vel ſupra ſunt ſubtiliſſ. puriſſ. potentiſſimis, Deo & Igni.

Illud autem inter *Amoris* miracula referendum maxime attonitos reddit; quòd homines aliquoties, juxta ac Telluris viſceribus ſubterraneus ignis, ſerpenti latè febre ardeat, nec palam luceat: ut cum flagrare ſentiamus, nec unde accendi poſſit, ulli videamus (niſi ſi qui opinemur congenitum ipſis medullis incendium, a que hoc victi experimento Animam eſſe Ignem fatemur) etiam flagrare negemus; negamus etiam, quia mirari non

Amor occultus, ut Ignis ſubterraneus ardet, nec palam lucet.

non libet, illam ſphærarum, & parem huic Animarum, concentum; ubi quæque ex adverſo proprios motus ſubit, & tamen eoſdem capit quaſi communi quadam intelligentiâ regeretur. Stupemus uſque unde cordium fibræ, æque ac Teſtudinum nervi, tanto conſenſu ſibi invicem conſonant; ut alterius trepidationibus ſine plectro perculſæ, ſine Artificis pulſu commotæ, tremulæ alterius fides reſpondeant. Ad hanc obmuteſcimus, inſcio Cythariſtâ Symphoniam: & juramus fibras has nervoſque iiſdem viſceribus aut olim extrahi, aut adhuc tendi Damus illud medicis, Motum eſſe aliquem conſenſum in corporibus (artis ſuæ non vile patrocinium;) eundem jam in Animis pro explorato habentes.

Motus conſenſus eſt, ut in corporibus, ita in Animis.

Nec amplius dubitandi pudore torquea mur, audacter pronunciantes cum *Platonico* conviva, *Magum* prorſus

Hinc Amor Magus.

sus esse *Amorem*. Unde occulto tactu semina & flammas concipiunt Animæ? unde *Amantes* veneficiorũ plane more per imagines & simulacra urunt & liquefaciunt ipsa extabentium hominum præcordia? unde formosi oculi, quantum vel Basiliſci, fascinant intuentes & morsicantes aspectus, radiisque sese insinuantes, implicantesque alterius radiis complexus innectunt, & catenas quibus devinciunt respicientem. Quid aliud esse dicam molles illecebras, quibus Lunam de cœlo devocavit *Endymion*? Quid aliud lenocinantes gemitus, quam magica murmura, alloquiorum philtra, numerosque Amatorios? Quid aliud, quam horrendos modos, qui afflatu quodam attonitum reddunt, & cantando rumpunt audientem? Quid aliud munera, quam fascina, quæ blandum virus gestantibus infundunt? Nescio, an magis

in eo quod Amatur demiret validos attractus, an in *Amanti* obsequiorum delineamenta, & incantandi blanditias, contra quæ nec istud relinquitur, quod contra venificia, remedium, ut diris & execrationibus obviam eamus: neque enim obnuntiare velimus, aut obsistere pereundi deliciis. Tota vis, mehercule, magicæ in *Amore* sita est; cujus hoc miraculum fertur, res invicem attrahere, & commutare ex quadam commutatione naturæ. Eo quod Mundi hujus membra, ceu Animalis magni artus, ab uno Autore pendentes, ab unius Naturæ communione, quasi commeante cuncta spiritu copulantur. Ecce autem, arctissimæ unionis ad argumentum, in globum colliguntur, ut qui ab uno in unum redire contenderint. Hac rerum devinctione & commercio secreto fit, ut mutuo Animarum attractu *Amor*, tanquam con-

contagione contractus morbus, sanos potissimum invadit, mox tamen dulci malo sponte magnâ cessuros: ubi mollia vincula & compedes quasi sericas Captivus arctius complectitur, quam abiis stringitur; &, æque ac catena ipsa, nescit amplexus, quibus fruitur.

Operis argumentum in transitu contexitur; eadem philosophandi ac procandi methodo proceditur, ab osculis ad amplexus, ab umbra & obscuro aspectu ad intimos intuitus, ab effectu ad naturam, & inde ad naturæ c usam.

Videor mihi irrequietos *Amantium* æstus pati clarius quàm describere, & argumentum meum agere prius, quàm exprimere. Antehac simulacris & somniis leviter illusus, quod consectabar ignarus, furoris recenter insanientis vices & fluctus sustinui verius, quam delineavi. Ut primus *Amasii* vultus, rudi haud imagine, sed imaginis umbrâ, infecit sanguinem, figuravit cogitationes; signavit animam, typisque suis mentem excudit, totum denique hominem occupavit, & se composuit: non aliter tamen ægro in pectore, quam jactatis sub undis, turbida

bida ac viſenda occurrit incerta ſpecies. & umbra, qualis. fingitur apud Inferos, evanida & pervicax, quæ adeuntem fugit, & inter amplexus elabitur. Mox amoto leviter *Cupidinis* velo, & conſpectâ, quam ſolet avide à procis conſpici, formâ divinâ delibatæ felicitatis, moleſta (ut fere omnis eſt) inſcitia injecit mihi curam, quæren diſingula, quos mores, quaſque doces, quas ſedes, quamque familiam jactitet, aut quam proſapiam. Hoc enim primum & ultimum ſolet eſſe in Amantium curis & gaudiis ut recolere anteactos luſus & rudimenta Amorum, ita inquirere parentum in annos & honores, quamque nobilibus initiis crevit Amicitia retrò fabulari.

Tot quaſi anſis & gradibus inveſtigantur, more Amantium, effectus & vires Amoris, dotes & inſignia, quibus convenit Amare, quomodo, & lege, quem in finem, quoſque gradus & ſpecies Amandi.

Quanquam magnitudinis & vetuſtatis indicium ſit adeóque multis profuit in religionem ſui, origines habere Annalium fide ſuperiores,

Inde indagantur definitiones & naturæ.

res; & oblivioni tanquam æternitati traditas; referre nobis liceat sine piaculo, una & venerari, primordia *Amorum*: & sane feliciter confusa, consecrante omnia antiquitate, pro more fabulam invenerunt. aut Cœlum Authorem. Audio, nescio quæ præludia *Amorum* huic prototypo in mundo, hujusque orbis agitâsse Animas in proscænio. Audio mentes genitalibus ex astris proseminatas, nunc denuo natalium siderum motes æmulatas & coitus. Quoties lascivientes planetæ quintili aspectu sibi mutuas blanditias faciunt, & propiore sese flamma accendunt, tum procari homines: quoties conjugalibus radiis miscent, amplexus, & *Hymenæos* ineunt, tum pronubas tædas hominibus proferre; deniq; non docere tantum & bene ominari, sed lenocinari in terris, & desponsare mortales. Missâ tamen argumenti mol-

Ultimo ascenditur ad origines & causas amandi.

Amicitiæ & complexus hominum non ex conjunctione Planetarum, sed ex cujusque naturæ impetu tergemino oriuntur. sive sui ipsius zelo;

mollioris lascivia, si in re minima philosophari mihi integrum sit, non cœli iste est, sed pectoris calor indigena, qui congregat homogenea, & societatis ardore inflagrat hominem aut sui ipsius zelo, aut infirmitatis tuendæ studio, aut sui communicandi consilio. sive infirmitatis tuendæ consilio;

Primum illud cuique Natura quasi singulis Tutelare numen & universis communem Animam unde quicquid partem sui refert, eo ipso cognationis vinculo illi devinctum tenetur. Hinc superiora inferioribus mutua necessitudine connubuntur. Hæc ista arctissimo nexu complectuntur, ut exemplaria & præsidia sua: Illa hæc tueatur, ut ministeria denuo, pridem opera sua. Æqualia autem æqualibus facillime congregantur; quippe sine potentiorum metu semper infido, & sine dissimilium rixa. Quæcunque Naturæ communione fœderantur,

eo

eo lætius consortio frui putandum est, quod vel ante societatem maxime conjunguntur,

Si quis autem suspicetur tenuitatis ad præsidia vocari socios, & rogandi genus esse *Amare*, Hominisque proinde amplexus, similes illis Hederæ ac Vitis, tantùm quærere fortiora sustentacula, quibus incumbant; videat hujus ad imbecillitatis patrocinium, puerum fingi ipsum *Amorem*, pueroſque prorsus omnes & fœminas, & quicquid est infirmiorum. ad *Amorem* faciles maxime & proclives. Experiatur, humano generi ipsas virtutes asciscí tantum inter vitæ necessaria, & aut ambitionis utensilia, aut inopiæ esse subsidia. Sciat omnia propinquitatis vocabula esse revera auxiliorum nomina; & diversæ vitæ commoda intelligi, quæ sanctissimis titulis cohonestamus: hæc sunt, quæ Amantissime compellamus

(si

(ſi fas ſit fateri) fratres, ſorores, & parentes: neque aliud quicquam *Amicus* cenſetur, quam aſylum & peculium.

Poſtremo, ſi ſui communicandi benigno pruritu hominem ferri exiſtimamus, & Dei ritu, cujus ſimilitudine gaudet eſſe ſui largitorem; quod generoſius eſt profecto cenſebimus, digniuſque ſociali & ſancto hoc Animali, quodque omnium proxime Cœli ad ingenium accedit, influxus libere emittere, quam recipere. Homo etenim quiſque, ut cætera animalia homini, ita & ipſe genitus eſt, non ſibi; aliiſque natus geſtit ſe alteri accommodare. Quantum quemque noſtrum pudet inopiam fateri, tantum juvat bona ſua communicando oſtentare, non mendicare aliena. Hinc experiri eſt avidos benefaciendi animos in partem felicitatis vocare ſocios, plane quaſi alumnos, & ſive ſui communicandi ſtudio.

& beneficii loco ducere. Humanitatis sibi materiem & licentiam concedi. Amplius secundæ fortunæ, quam adversæ solatium præstat *Amicus*. Non adeo inique mecum agit Sidus meum, ut desint mihi hujus liberalitatis experimenta, aut ut aliunde conquiram argumenta: tametsi hæc ipsa gratitudinis confessio sese damnantis, quod lætius confertur, quam accipitur munus, aut rependitur uspiam, satis testatam facit humanam indolem unam hanc legem sibi dixisse benefaciendi, & Animi magnitudine respuisse jura gratitudinis. Illud scilicet ex animi copia profluit, hoc à necessitate extorquetur; in illa gloria & decor tantum majoris; in hoc, reverentia & pudor velut inferioris. Errat misere, sortis splendore perstrictus, qui ægre patitur munus, nec ingrate facit, nec superbe, sed adversùs sortem magnificus, & quadam

Lætius conferrur munus, quam accipitur, aut rependitur.

dam humanitatis lucta fortis oſtendit malle ſe eſſe muneris autorem; & votum munificentius impendit prius, quam donum accipit. Cum ergo hos videas ad ſerviendum quaſi genitos, illos ad fovendum tuendumque, non ram fortunæ quam naturæ & benevolentiæ utramque paginam verſas; ut eos ſuperiores, eoſque liberaliores eſſe potius agnoſcas, qui hominem impendunt, quam qui nullo negotio munificbona permittunt effluere: quare conſtat ubique hunc *Amoris* libentius deſcendere quam ſurgere ignem. Imo ſemper deſcendit (modo excelſioris ſit & amplioris, Amare) & prono decurſu eademque declivi ſerie per cognationum ordines propagatur hic Affectus, quemadmodum ipſe Homo.

In duo ſe diſtribuit humanum genus. Hoc ad ſervien-dum, illos ad tuendum quaſi genitos utrinque benevolentia mutua exprimitur: illi vero liberaliores qui homi-nem, quam hi, qui bona impendunt.

Enimvero eodem ordine, & apparatu, quo regna exſtruuntur, conditur *Amicitiæ*; & per ſanguinis rivos

Amicitiæ Origo & cauſæ; eodem ordine, quo regnum conditur.

Amicitia ex Amore sui proserpens ad alios,

decurrens calor, extra parietes privatos familia serpit; mox, perruptâ quasi æstu venâ, ad affines & concives latiùs evagatur. Redeundum enim est ad eos (ne videar dignitati *Amoris* magis consulere quam veritati, aut gravissimo crimini sim obnoxius, qui aliam à populo ausim amandi legem instituere, & contra seculum secte sentire) qui nobis nos esse statuunt Amandi exempla, ejq; & causas. Hoc scilicet Benevolentiæ meritum est, impensè sibi velle: Hoc Amantis studium, seipsum in alio emersum gnuere, liberare, & blando calore educare, vique quadam vitali omnia ad sui nutrimentum rapere. Unde mirum non sit, virtutem, quæ neglectum sui-ipsius præcipit, spretam jacere & desertam. Ne pudeat tamen aliquando Amasii, quasi hoc esset ludibrio habeti, & sub personâ officiosâ negligi; dcias, improbè

Amare,

Amare, nisi qui seipsum diligit: neminem quoque seipsum Amare, ut sibi prosit; quanquam idem qui amat, prosit vel inscius. Ingenua itaque omnis philautia est, qua quicquid sumus, aut quicquid esse velimus, quasi aliqua cognatione conjunctum, aut affinitate conjungendum, benigne prosequimur. Urget omnes ista quorundam Ambitio (qui Gentis insignia & famam Majorum titulis in suis ponunt) ut quod illustre sit, continuo, corruptis fecialibus, in nostram referatur Cognationum Tabulam. Sic æmulæ urbes de *Homeri* laudibus in jus iverunt, & bellum indixerunt ἀοιδίμου, quasi de imperii promovendi finibus. Hinc, quod præcipuum mortalium præsidium est, Philautiæ mox, obnoxios prima face accendit virtutis splendor, & quod numen colit cultus suos meruit: Cujus ea vis est, ut ne-

Ingenua rei Philautia, qua quicquid sumus, aut esse velimus impense prosequimur.

mo adeo conclamatæ sit improbitatis, qui non voto & suffragio, &, pene dixeram, animo bonus sit; & virtutem, quam nolit exercere, exercuisse velit; quemque in se-ipso male patitur, in altero complectitur.

Ex hoc germino quasi impetu naturæ & rationis, primus rationis impetus fert ad id omne, quicquid esse volimus; hinc primus inter Amoris causas Virtus, & virtutis umbra quotquot ejus speciem præ se ferunt.

Quo nos primus hic non naturæ tantum, sed rationis impetus proripit? Ecce sponte, decepti, non virtutem tantum, sed quicquid virtutis præ se fert larvam & speciem, proni adoramus. Modo difficultas illa (quæ solet sacro horrore munire virtutis iter, & profanum vulgus arcere) propellit, & illicet blandis injuriis. Labiorum mella liquidius haurimus aculeis interpugnantia. Illud, ad dominæ limen excubare, viliore ab rivali repulsam, contumeliam pati, sicut & digitum premere, labra morsicante osculo vulnerare, futuræ voluptatis aculeum quendam & stimulum emittit.

Modo

Modo etiam raritas (quæ virtutibus, ah nimia ſeculi pigritia! pene jam propria videtur) nobis ipſa monſtra commendat, & quicquid de tranſmarino deforme.

Nota quoque illa Amantium lenocinia ſunt, quæ inter virtutum umbras præcipuæ habentur: Laudes, quas ſpeculo & pyxide chariores ducunt fœminæ, quibus, tanquam odoribus, homines juxta ac Dii placantur, quam facile arte illud obtinent, ut nos nobis placeamus ſimul ac aliis! quam pretioſis blanditiis illud efficiunt, quod omnium, etiam modeſtiſſimorum, in votis eſt, placere caſtiſſimæ Matronæ! & quæ fugiunt Amari, ambiunt tamen Amabiles videri. Egregium utrumque virtutis argumentum. Certius tamen iſtud *Laudare*, quam *Laudari*. *Laudari* enim ſolent, idq; flagitant maxime immerentes, ut fucum deformes: ſed *Laudare*, Laudes.

nemo poteſt, niſi qui laudandus eſt ipſe. Eadem facit, aut facere voluit, qui probat, & alienis facinoribus clareſcit; ut qui erigit Herois ſtatuam, erigit ſibi virtutis monumentum. Hæc enim grandis inſtar meriti, virtutes non exercere, ſed mirari, & colere. Hæc ſunt illa *Cupidinis* Tela plumis ſuis armata, quæ, dum demulcent, ſæpius vulnerant & ſagittarum more dum eminus feriunt & valide, à longe remotos & abſentes transfigunt. Verum adulatione præfari, & captare benevolentiam, ſolennis Rhetoris & procantis ars, nihil aliud mihi videtur agere, quam ora nobis exoſculandi prius illinere ceruſſa, quæ dulce ſemper virus inſtillat, & furtim exedit baſia.

Inter virtutes illæ præ ipsis utiles Amorem faciunt, vel quæ humanitatem exercent.

In tantum ſumus homines gloriæ & virtutis Animalia, ut verear, ne parum deceat fateri inter virtutes nos ſedulò colere illas utiles, ſive quæ

quæ humanitatem exercent & invitant, utpote modeſtiam, æquitatem; ſive quæ humanitati præſunt & tuentur, ut fortitudinem & munificentiam: quibus quoties eorum fructus minimè ad nos perveniat, aliorum vice gratiam referimus. Ut autem cæteris virtutibus æmulatio, ita munificentia noſtros conciliat affectus. Quanquam illius majus prædicatur meritum, quo minus in accipiente meritorum eſt: quod totum non judicio, ſed favori acceptum referatur; quod noſtri cauſa accerſeret benefacienti contumeliam. Hac liberalitate expergefacta, illa ex altera parte omnium ſinu ingenita reſpondet Liberalitas: quanquam primo forſan iniqua æſtimatione propter beneficia donantem in pretio habuit, mox tamen munera propter authorem diligit, qui illum Penatum & Parentum indulgendi Animum

Modeſtia, lenitas; vel ei præſunt, & noſtri patrocinium agunt, ut Fortitudo,

Liberalitas.

mum extra lares propios exhibuit, & nutritiâ pietate alienos sinu susce pit, neque aliter quam cognatos fovet. Hic victa succumbit gratitudo & cum sentiat nihil reponi posse præter ipsum hominem, Patronum, uti Numen, tenui cultore rependit. Neq; vero mihi videtur ingenuus is Animi ardor, qui continuo beneficia quasi debita regerit, & dona solvit, ut nomina deleat, & rationes utrinque consent; quasi muneris tantum usura ageretur, aut fœnoris liberale quoddam aucupium. Non pie, sed superbe facit, qui ægre se devinctum patitur. Hoc est munera refellere, retundere; non accipere: hoc est, majore eum fastidio, quam gratitudine, munificentiæ miram luctam & opes jactare. Sed postquam beneficia nihil ultra quærunt quam recipi, solus ille novit Liberalitatem in accipiendo exercere, qui candide interpretatur

tur, & nihil retribuit, nisi gratum animum. Neque opinatur hoc liberalitatis suæ pretium esse, sed alienæ pignus. Ne quis tamen verba hæc tenuitatis meæ, aut ingratitudinis patrocinio conficta suspicetur, sciat Animum me induxisse meum, ut credã, eo candore Amicos donare, ut qui solverent tantum ut deberent; eâ libertate dona reddere, ut qui sponte largiuntur. Hæc beneficia, hæc sunt *Cupidinis* Tela illa, quæ auratâ cuspide splendidum sed & fidum, vulnus infligunt. Potentior sane sub auro quam sub plumis, imo quam sub numine, procatur *Jupiter*. Enim munerum Idiomata ab omnibus intelliguntur; sed majestatis dignitatisque characteres, & rhetoricantis pennæ blandimenta, paucis perspecta sunt. Beneficia Cupidinis tela auro armata.

An ex hac facilis Animi humanitate provenire dicam benevolam commiseratio- Ex liberalitate oritur commiseratio, quæ

pectus emollit, deinde signat imagine.

nem, quæ pectus tanquam ceram emollit, deinde quavis signat imagine? An ex hac mentis amplitudine superbam illam benignitatem, quæ dum munificentiæ locum quærit, miseros valde diligit, felices fastidit? An hinc profluere credam generosum fastum, qui demissa genua & capita ardentius ambit quam amplexus, & ea magnificâ conditione amat, ut ne redametur? Seu potius mollem hanc appellemus verecundiam, similem eorum, qui alterum tantisper sustinent intueri, donec respexerint.

Ad virtutes accedit pulchritudo, quæ exhibet Ethicæ animatum systema, & corpore exprimit expingitque omnes virtutes, prudentiam, fortitudinem justitiam, temperantiam.

At, ô te diviniſſime vatum *Plato!* fatemur hic mirabiles jactari toto de corpore *Amoris*, ubi se spectandum exhibet virtus; ubi sanguinem lacte attemperat Animi candor, genasque purpuret verecundia; ubi liberalis frons hospitio quasi excipit intuentes, & oculorum trajectus quasi sparsa numismata colli-

colliguntur; ubi compositi vultûs disciplinam sentias gravitare suâ increpantis & restinguentis faces, quas in te decore excitarat; ubi sagaceis oris dictata animadvertas, & tacita quædam prudentiæ consulta haurias; ubi redactas ad legem agnoscas, quadam justitiæ lance, æquabiles, uti morum, ita & artuum vires, & animatum Ethices systema oculis tractes; ubi, cum lucida conspexeris membra, quasi gemmas, membris appensa in ornamentum simul & ministerium, solidæ venustatis prope concretam fortitudinem miratus exclamabis, Huc Retia, huc, *Vulcane!* Ecce iterum deprehendimus coëuntem cum *Venere Martem!* O formam imperio dignam non unius orbis! Gratias agimus *Iovi*, *Iovique* Aquilæ, quod tantam pulchritudinem Terris non invideris. Poteris hinc, O Sanctissime *Plato*, raptus & Philosophiam petere, & pu-

Hinc nominatur virtus corporea.

puriorem Ideam oculis quam cogitationibus tuis usurpare. Potes ad tantam genarum lucem, O *Socrates*, juventutem ablegare, velut ad speculam, comendam & excolendam. Licet & tibi, O *Eudoxe*, despecto Sole, ad hoc lumen intuendum conditum prædicare humanum genus; & vel oculorum damno claras haurire delicias. Hujus aspectus, vel *Orphei* lyra potentior, poterit feras & Philosophos domare. Hujus splendor, vel ipsa luce jucundior; meruit, *Phœbi* vice, non Aquilarum solum, sed mortalium fœtus probare, educare. Jurarem prope Animas, quasi cadentes stellas, ex astris defluxisse, cum usque-adeo fulgorem omnem demirentur. Hæc sunt *Cupidinis* Tela oculorum luce imbuta, & flammis vibrantia, quæ micando urunt & pungunt.

Omnis Amor similitudinis.

Sic quicquid conspicuum est, cuicunque similes esse veli-

velimus, nos ad se rapit, eo-dem ardore, quo illa ad nos trahimus, quibus jam similes videmur. Petimus damusque vicissim huic insaniæ veniam, qua idem viri agimus, quod pueri, & nostras in speculis imagines ad oscula & amplexus petimus. Non unius *Narcissi*, sed humani generis fatum est, effigiem suam perdite deamare. Æquum est prorsus arctiore zelo alterum eundem prosequi, quam vel parentes aut pignora, quæ tantum sunt partes nostri, quam vel artifices opificia sua, quæ sunt artis pignora & simulacra. Indulgenda est hæc aviditas, qua consimiles depascimur; siquidem & Animis lex ea fit, similibus nutriri. Quare non miror tantas lenæ consuetudinis vires, ut non tantum erga corpora, sed erga loca ipsa, & inanimes nugas, tanquam consortia, conciliet homines. Unde eadem mora, quæ formam carptim devenustat,

comprehenditur; proinde omnes amamus, vel quibus similes esse velimus, vel quibus similes sumus. Ex priori præsibati isti Amoris usu, ex posteriori consurgit primo ipsa similitudo,

deinde consuetudo.

nuſtat, deformitati decus adjiciat; ſiquidem oculus Animuſque ſpecie imbutus familiari deſiit videre, niſi per fucatum vitrum, quod horrorem leniat. Ita & familiaritas, ſine qua vel præſentes peregrinamur, hanc vim conſuetudini apportat, unde germanos mores formet conſanguinea ſtudia quaſi reciprocâ generatione fingat, animumque animo adaptet, ut ſuavius liberiuſque cum alio quam nobiſcum ipſis verſemur. Quid? Catnificina eſt, non ſodalitium, metu ſemper diſplicendi, perverſe omnia, & vultus ad ſpeculum (quia ad alterius mores non licuit) reverentiâ congreſſûs componere, voces tanquam aurum trutinare antequam impendantur, præmeditatis geſtibus, indicto conventui intereſſe, & velut in publico verſari.

Familiaritatis.

Similitudinis quoque nomine Amor. Omnis denique ſi-

Sed, quid illas refero cognatas ſpecies, ſive à natura, ſive ab arte, ſive à conſuetu-

suetudine in Animis leviter depictas? cum his omnibus vivam imaginem inurat pectoribus *Amor*, cujus vi solâ emigrante dudum Animâ, agitantur & vigent. Bene consultum est *Amantibus*, quod vel invitos liceat Amare. Cum non tantum similis, sed tecum idem sit, inscio certe tibi te sine venia surripuit. Nil opus est, ut vices reposcat, & Amandi debitum, si hoc nihil moveat, quod simulachrum, quod mancipium tuum sit, tuoque in censu numerandum; quod tui causâ animam & libertatem emisit: si nihil terreat impietatis, homicidii crimen; naturæ tamen necessitas accendit ex *Amore Amorem*, & ex flamma flammam. Noluit tamen vim istam Natura indulgere *Amori*, ut simulet, aut æmulatus ut urat aliter, quam pictus ignis: mentiantur enim quantum-libet vultus, frons, gestus, aut se, ut in pictis omni-

similitudo per species sive à natura, sive ab arte, à consuetudine depictas in animo.

omnibus evenit, nimiâ imitandi æmulatione, aut inertiâ suâ prodat simulatio. Si nondum agnoscas hominis pretium esse *Amorem*, ut saltem avaro beneficii nomine admittas, scias, in se complecti beneficia omnia quæque facit, quæque facere non valet, & votis pluſquam omnia; ſine quo vel ipſa beneficia ſorti attribuam & fato, non homini, & inventa potius cenſebo, quam accepta: cujus unius munere etiam pauper liberalis eſt, quoties nihil donat, ſed munifice optat. Quo uno nihil majus à mortalibus Dii petunt & reddunt. Ecce! omni herbâ potentius philtrum, *Si vis Amari, Ama!*

Ut autem indigna res eſt amandi rationem exigere & reddere: ita dignior iſte *Amor* eſt, qui ut flores quidam, ſine ſemine provenit; & hoc habet æternitatis, abſque cauſa exſiſtere, cœliq; more moveri non viſendâ Intelligentiâ.

gentiâ. Hoc est, agnoscimus, hoc est totum natura Amatorium, Similitudo, ut manifesta, ita maxime occulta, quam Sympathiam nominavimus: unde sine propinquitate & consuetudine, propinqua & familiaris Anima. animæ confidet & contesserat; ut Planum Plano adhæret (si qua Mathematicis fides) solo concinnitatis glutine, nunquam revellendum. Videtur gemellas producere mentes Natura, & mentibus socios assignare, ut umbras genioſque corporibus, ut cœvas Arboribus suis nymphas: hinc, invitis natalibus, eadem astra, eadem fata subeunt homines, & plane gemelli prodeunt. O par Amatorium, nobilius Gladiatorio spectaculum; ubi liberalitatis duellum & lis tota in officiis geritur! In hoc uno discordes se produnt affectus, quod pro altero uterque solicitus, odia & metus exercent, utrique, quasi alterius bile suffusi,

Hoc omne est Amatorium, similitudo (inquam) sive manifesta, sive occulta, quæ dicitur Sympathia.

Pidum Par.

ſuffuſi, eadem cum altero cernunt & judicant; utrique, quaſi eodem magnete imbuti eodem ſe convertunt, eodem tendunt, & connituntur: alter alterius vultus induit, vel ſpeculo fidelius; alter alterius mores imitatur, vel Paraſito expreſſius; ut ſit tam ſimilis ſibi, nec ipſe.

Hæc indignatus balbutientem *Cupido* Calamum ſurripuit, & avolavit.

FINIS.

INDEX.

Θεὸν citius quam Ἄφλον inveni-
as. Pag. 48.
Amantis vitia placent. 18.
Amare neminem, & amare non optimum, nefas. 50.
Amatores aliquid divinitatis aspirat. 61.
Colloquia intuitu peragunt. 9.
Omnia vel ultra vires possunt. 6.
Amicitia rationis opus. 40. Virtutis negotium. 41. Non ex conjunctione planetarum, sed ex cujusque naturæ impetu oritur. 116.
Amicorum quam parentum sanctius nomen. 103
Amicus, dignitatis nomen. 61
Amor flammeum & velum habet. 11. Mysterium est. 12. Ænigma. *ib.* Malignus simul & benevolus. 13. Nullus sine indignatione. 14. Alternis gaudet, & suspirat. 16. Mollis simul & fortis. 17. Cæcus, sed & maxime oculeus. 19. Cum ratione insanit. 21. Sapientis solum est. 22. Res perpetua. 23. Circulus *ib.* Animæ extensio. 28. Unum in multos diffundit *ib.* Unum ex multis facit, 29. Primum donum 31. Opulentiæ, non indigentiæ nomen.

men. 32 Ingenuum commercium. 33. Modum & finem nescit. 49. Unius tantum est. 67. Non tamen erga omnes alios inhumanus 70. Circulus est à bono per bonum ad bonum rediens. 76. Philosophia prima. & desiderium æternitatis. 80. Desiderium pulchritudinis fruendæ. 81. essingendæque. 82. Operis sui admirator. 87. Simplex & mutuus. 95. Deus est. 106. Ignis, 108. Magus. 111. Omnis, similitudine comprehenditur 132 Mutuus est reciprocæ benevolentiæ paritas 98

Amoris asperiora pensa augent & obsequii gloriam ostendunt. 5. Mysterium est non exprimendum, nisi sese interprete. 8. Ejus à sacris & castris amandatur quicquid infimum. 34. *Pueri* quare. 35. *Senes* & emeriti quare 36. *Fœmina* quare 38. *vir malus* quare. 43. Amoris naturalis duplex finis. 56. Definitiones Amoris. 76. Sacramentum totum, in id reduci unde fuimus. 77. Error sui fastidio punitur. 33.

per *Amorem* etiam quæ evilescunt perplacent, & vitæ dehonestamenta transeunt in decora. 65.

Appetitus omnis etiam insensatus tendit ad meliorem naturam, tanquam ideam. 55.

Beneficia Cupidinis tela auro armata 129.
Benevolentia modus nescire modum. 75.
Cupido semper Gemellus. 90.
Decor, in quibus consistit. 88. Corporis aut imaginarius est: 90 aut tenuior, quam quæ animam detineat. 91. Mollis expers. 29.
Deformitas testacea. 7.
Deliquium ex conspectu Amatoris, unde 27.
Eros cum *Anteros* unà connascitur & adolescit. 96.
Fœmina quare excluduntur à sacris Amoris. 38.
Indignatio in omni amore. 14.
Iucundissimum quisque sibi spectaculũ. 6.
Iupiter est, quodcunque cupis. 66.
Liberaliores ii, qui ultro benefaciunt 62. qui hominem, quam qui bona impendunt. 121.
Ex *Liberalitate* oritur commiseratio. 129
Lycurgi & Naturæ edictum, Nefas amare neminem. 47.
Munus lætius confertur, quam accipitur, aut rependitur. 120.
Nil dulcius *amare* aut *amari*, præter *amare* & *amari*. 96.
Optimum, quod nusquam est, opinione nostra supplemus. 50.

Πολυφιλία non amicitia, sed benevolentia & humanitas vaga. 71. citra benevolentiam superbiæ est & suspectæ probitatis. 72.
Polygamia in nuptiis animarum par incestui nefas. 70.
Potentiarũ cultus, ambitionis, aut adulationis; non charitatis, & fidei 59. severitas, non amicitia. 100.
Problemata amatoria. 12.
Pueri cur ab Amoris sacris excluduntur. 35.
Pulchri nomine amatur quicquid amatur. 83.
Pulchritudo non mollities, sed vigor, & maturitas cujusque rei. 87. virtus quædã corporis, flos internæ virtutis, animæ effluviũ. 88. divinũ quiddam, ab homine solo amatur, 100. ad virtutes accedit, & corpore exprimit expingitq; ões virtutes 130.
Pulchrum est. quod id totum est, quod esse debet. 87.
Pythagorica transmutatio in Amore 25.
Rubor ex conspectu amasii, unde. 26.
Senes ab Amoris sacris quare excluduntur. 36.
Sympathia. occulta similitudo. 137.
Venustas in quibus consistit. 89.
Vir malus non sociale animal. 43. Secum

eum dissidet, se fugit, *ibid.* fastidio sui defertur ad societatem. 41
Virtutes quænam præcipue coluntur. 126
Vitia amantis placent. 18
Voluntatis, quam sanguinis, arctior nexus. 104
Voluptas nulla nisi ab Amore. 64
Uxor, dignitatis nomen. 63